Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lorenz Bodock

Auspicatissimus Thalamus Quem ... Dux Holsatiae Fridericus. Ut Socer ... Dn. Gustavo Adolpho, Duci Mecklenburgico ... Ut Genero ... et Dn. Magdalenae Sibillae, Duci Holsatiae ... Ut Filiae ... In Arce Gottorpiensi. Praeteriti Anni, M. DC. LIV. Mense Novembre, Adornabat

[Rostock]: Kilius, 1655

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0001
DFG

Rb-6131(2) 1-39 1-89.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0002
DFG

Rb 6131 (2.)

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Inhalt.

1. Omeisius, Magn. Dan., Panegyricus, quem Leopoldo I. ob victoriam prope Zentam consecrat. Altd. 1697.
2. a Luck, Chph. Sigism., Panegyricus sacer memoriae Leopoldi I. Vratislaviae.
3. Corberus, Casp., oratio panegyrica in connubium Josephi, Romanorum Regis, et Wilhelminae Amaliae, filiae Johannis Friderici, Brunsvicensium et Luneburgensium Ducis. Cum programmate. Helmstad. 1699. Mart.
4. de Wickenburg, Joh. Franc. Capellini, conditus Stechinelli, Panegyricus nuptiis Josephi et Wilhelminae Amaliae - Helmst. 1699. Mart. Cum programmate.
5. Schwarz, Christ. Gotth., oratio genethliaca Imperatoris Caroli VI. et Imperatricis Elisabethae Christinae filio primo genito Leopoldo 1716. April habita. Altorf. Cum programmate.
6. Eisenreich, Jo. Jac., Panegyricus eidem Leopoldo dictus. 1716. Halae. Cum programmate et epist. gratulator!
7. Michaëlis, Joh., porta triumphalis, post redintegratam pacem Regi Sueciae Carolo Gustavo erecta. Gryphiswald. 1658.
8. Pomereschius, Jo., oratio in excessum Caroli Gustavi. Gryphiswald. 1660.
9. Wendt, Hercules, oratio de Carolo Gustavo in Carolo XII. redivivo. Hbd. 1694.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0003
DFG

10. Kirchmaier, Ge. Casp, panegyricus funebris memoriae Caroli XI. 1697. 24. Nov. Witberg. Cum progr.
11. Saalbach, Christ., panegyris in nativitatem Caroli XII. 7. Juli 1682. Gryphiswald. Cum intimatione orationis.
12. Idem, gratulatur Carolo XII. regna sua juris hereditatis capessenti. 4. Mart. 1698. Gryphiswald. Cum programmate.
13. Michaelis, Joh., Panegyricus coronationi Christinae, reginae Suecorum, dictus d. 12. Nov. 1650. Gryphisw.
14. Witten, Henning, planctus in obitum Ulricae Eleonorae, reginae Suecorum. Rigae, s. a.
15. Brehmius, Joh. Rud., oratio funebris in mortem ejusdem 1693. Nov. Revaliae.
16. Samson, Claudius Herm., orat. parentalis in mortem ejusdem. 1693. Nov. Lipsiae. Cum programmate.
17. de Schwartzern, Nicol., orat. funebris in mortem ejusdem. 1693. Nov. Halae.
18. Behr, Chph., invitat ad orationem in memoriam Johannis III., regis Poloniae, 1696. d. 19. Juli habendam, et oratio ipsa. Gedani.
19. Balduinus, Christ. Ad., panegyricus in honorem Johannis Georgii, electoris Saxoniae. 1655. d. 25. Sept. Wittb.
20. Olearius, Joh., orat. parentalis in mortem Augusti, Ducis Saxoniae, Archiepiscopatus Magdeburgensis postulati Administratoris. 1680. Lipsiae.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0004
DFG

21. de Poelnitz, Gottl. Friedem., oratio natalitia in natalitatem Friderici Augusti, filii Mauritii Guilielmi, postulati administratoris episcopatus Naumburgensis. Jenae 1700.

22. de Hesberg, Christ. Erdm. laudatio funebris Johannettae, Ducis Saxoniae — 1701. 24. Nov. Jenae.

23. v. Platen, H., et v. Platen, Hartw. Casp., natalis Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgiae, et Caroli Aemilii, Marchionis Brandenburgensis, celebratus. d. 6. Febr. 1674. Lips. Cum programmate.

24. a Kith, Gido Henr., panegyricus, quo Friderico Wilhelmo Magno, Electori Brandenburgiae, ob donativum militum virginti thalerorum Academiae factam, gratias egit. 1686. Frft. ad Viadrum.

25. de Münicke, Joh. Chph., Panegyricus ob res gestas Friderici Wilhelmi Magni et gentis Zollerianae. 1687. 15. Juli. Hbd.

26. de Rohr, C. Alb., orat. eucharistica de Friderici III., Electoris Brandenburgici, beneficiis in subjectos. 1690. 8. Mart. Cum programmate. Frft. a. V.

27. de Bismarck, Chph. Ge., oratio eucharistica de praelio ad Ordingam et de victoriis Friderici III., quae hanc consecutae sunt. 1690. April 4. Hbd.

28. Rango, Emmanu., oratio propter coronationem Friderici, Regis Borussiae. Rost. (Eine kurze Geschichte der Loewenhaupt.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0005
DFG

29. de Blumenthal, Car. Lud., de justitia principum
nummis veterum commendata. Frcft a.V. 1702. 22. Febr.
30. v. Ribbeck, H. G., panegyricus ob nuptias Friderici
Wilhelmi, regni Borussiae heredis, et Sophiae Doro-
theae. 1706. 29. Nov. Halae. Cum progr.
31. Meurer, Garl., oratio gratulatoria ob Natalem Electoris
Hannover. Augusti. 1693. 12. Nov. Wittb.
32. Bodock, Laur., oratio propter nuptias Gustavi
Adolphi, Ducis Meclenburgici, et Magdalenae Sibyl-
lae. Cum orationibus Jacobi Creuseri et Ern. Colh-
manni. Rost. 1655. Jan 10.
33. Worm, Ol., orat. parentalis propter obitum Wilhel-
mi, Daniae Principis. 1705. Dec. 3. Hauniae.
34. Sperling, Petr., oratio gloriae et felicitati Friderici,
Ducis Slesvici — Jenae 1700. Oct. 11.
35. Avin bei ~~dem Allerdurchl. Prinzen~~ Rede. 1687. Wittenb.
36. Pfennigk, Jo. Guil., panegyricus honoribus Jo. Ernesti
a Knoch, 1687. Febr. Wittb.
37. Ludovici, Gotofr., oratio, qua J. N. Roeserus immisit
in Quedlei Rectoris provinciam Samuelem Schmidium
— 1705.
~~38.~~ Roeser, Jac. Nic., oratio de eruditione pietati juncta
a. 1665, qua 5 praeceptores gymnasii Quedlinburgen-
sis introducti sunt.
~~39.~~ 38. Michaelis, Je., oratio de dedecore foederum a Christiano cum
Turcis initorum. Gryphiisw. 1682.
~~40.~~ 39. v. Essen, J. F., orat. de caracteribus et ornamentis generosi ju-
venis. Fbd. 1706.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0006
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0007
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0008
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0009
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0010
DFG

Jurl 32

AUSPICATISSIMUS THALAMUS

Quem

SERENISSIMUS ET CELSISSIMUS PRINCEPS

AC DUX HOLSATIÆ &c. &c. &c.

DN. FRIDERICUS.

UT SOCER VENERANDISSIMUS.

SERENISSIMIS AC CELSISSIMIS PRINCIPIBUS

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Duci Mecklenburgico &c. &c. &c.

UT GENERO DILECTISSIMO.

ET

DN. MAGDALENÆ SIBILLÆ,

Duci Holsatiæ &c. &c. &c.

UT FILIÆ AMANTISSIMÆ

IN ARCE GOTTORPIENSI.

PRÆTERITI ANNI, M. DC. LIV. MENSE NOVEMBRE,

ADORNABAT.

ET QUEM

LAURENTIUS BODOCK,

J. U. D. Orator. Professor.

CUM

Nobilis ac præclaræ Indolis Juvenibus

JACOBO PREUSERO, Holsato.

Viri Nobilissimi Amplissimi, Excellentissimi,

DN. JACOBI PREUSERI, Holsatici olim Consiliarii intimi,

& Cameræ Secretarii filio.

ET

ERNESTO COTHMANNO, Mecklenburgico.

Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,

DN. JOHANNIS COTHMANNI, Comitis Palatini Cæsarei,

Mecklenburgici Cancellarii & Consiliarii graviſſimi filio.

IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

CUM SUMMA SOLENNITATE ET MUSARUM APPLAUSU.

DIE X. MENSIS JANUARII, ANNI HUJUS M.DC.LV.

CELEBRABAT.

EXPRESSUS.

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0011

DFG

SERENISSIMIS CELSISSIMIS PRINCIPIBUS

DN. FRIDERICO,

Hæredi Norwegiæ, Duci Sleſwigæ, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comiti Oldenburgi & Delmenhorſti.

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Duci Mecklenburgico, Principi Vandalorum, Swerini, Ratzeburgi, Comiti Swerinenſi, Terrarum Roſtochii, & Stargardiæ Dynaſtæ.

DN. MAGDALENÆ SIBILLÆ,

Duci Sleſwigæ, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comiti Oldenburgi & Delmenhorſti.

PRINCIPIBUS CLEMENTISSIMIS.

ACcipite SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPES, *ipſum* ARTAXERXEM *Perſarum Regem, (qui non donariorum æſtimatione, ſed donantium affectu munificentiam metiebatur) clementiâ ſuperantes; accipite inquam benignisſimâ mente,* AUSPICATISSIMUM HUNC THALAMUM. *Eundemq; quanquam non ut debuimus, ſed ut potuimus, ac religioſiſſimo ſanè animô, æternum* SERENISSIMIS CELSITUDINIBUS VESTRIS, *mancipatô, in* UNIVERSITATE MECKLENBURGICA, *publicè & ſolenniter, à* NOBIS *celebratum, benigniſſimè interpretemini. Nos, ad ſempiterna obſequia* SERENISSIMIS CELSITUDINIBUS VESTRIS, *devinctiſſimos ac obligatiſſimos quod attinet.* SUPREMUM NUMEN, *devotiſſimis precibus, continuò ſolicitabimus, ut ex hoc felicisſimo non minus, quam deſideratiſſimô* CONNUBIO, *copioſiſſima, in* SERENISSIMAS ET ILLUSTRISSIMAS VESTRAS PROSAPIAS, IN VESTRASQUE IPSAS CELSITUDINES, *decora & commoda redundare experiamini; et ut omni gloriâ ac felicitate, in hiſce terris florentiſſimi, tardiſſimè ſpiritus veſtros effundatis. quos cœlitus* ROMANO IMPERIO, ORBIQUE CHRISTIANO *communicatos, ipſosq; cœleſtes, Heroicis facinoribus intentiſſimos, immortalitatis ac æternitatis capaciſſimos, olim ſumſiſtis. Sic, & quidem cordicitus voventes. Dabamus* ROSTOCHII *die 27. Januarij. Anni M. DC. LV.*

SERENISSIMARUM CELSITUDINUM
VESTRARUM
Servi Submisſisſimi, & cultores devotiſſimi

LAURENTIUS BODOCK, J. U. D.
Orator: Profeſſor, & Colleg. Phil. SENIOR.

JACOBUS PREUSER, HOLSATUS.
ERNESTUS COTHMANN, MECKLENBURGICUS.

PRO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0012
DFG

PROGRAMMA
Quo

LAURENTIUS BODOCK,
J.U.D. Celsisim. Princ. & Duc. Mecklenburg. Orator: Professor. Collegii Philosoph. SENIOR.

Omnes Omnium Ordinum Auditores Honoratissimos.

Publicè invitabat:

QUandoquidem, Divinâ sic Dispensante Clementiâ, Serenissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus DN. GUSTAVUS ADOLPHUS, *Dux Mecklenburgicus, Princeps Vandalorum, Swerini, Ratzeburgi, Comes Swerinensis, Rostochii & Stargardiæ Dynasta, Academiæ nostræ Patronus munificentissimus, Dominus noster clementissimus; quandoquidem inquam, simul cum Serenissimâ & Celsissimâ Principe ac Dominâ,* DN. MAGDALENA SIBYLLA, *Duce Slesvigi, Stormariæ, Dithmarsiæ, Comite Oldenburgi & Delmenhorsti. Serenissimi, Celsissimi Principis ac Domini,* DN. FRIDERICI, *Hæredis Norwegiæ, Ducis Slesvigi, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorsti filiâ, salvus & incolumis,* ARCEM SUAM GUSTROWIENSEM, *vel satius Virtutum Heroicarum* SACRARIUM *repetiit; cum quâ in* ARCE *illâ* GOTTORPIENSI, *aut potius, in tot Regum, Principum, Heroumq; æternitati consecratorum* DELUBRO, *magnô, utriusq; Provinciæ bonô, summo omnium bonorum prolubio, faustissimisq; acclamationibus, Anni nuper elapsi M. DC LIV. Mense Novembre, in conjugalem Societatem & vitam, gratissimâ conjunctione coaluit. Idcircò Ego,* DEO ADIUVANTE, *in hacce nostrâ* UNIVERSITATE, *coram Virorum Eruditissimorum Consessu, cum Musarum jubilo & applausu,* AUSPICATISSIMUM *hunccc* THALAMUM, *& quidem cum selectioribus, ad gloriam, decusq; Patriæ, & parentum progenitus* JUVENIBUS, PUBLICO GRATULATORIO PANEGYRICO, *excipiam atq; honorabo. Quorum Unus, indole & virtute Nobilissimus, D. JACOBUS PREUSER Holsatus, Viri olim Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi, Dn. JACOBI PREUSERI, Serenissimi ac Celsissimi Principis ac Domini,* DN FRIDERICI, *Hæredis Norwegiæ, Ducis Holsatiæ &c. &c. Consiliarii intimi, Cameraq; Secretarii filius, prænominato reverenter, suo Serenissimo & Celsissimo Principi ac Domino* DN. FRIDERICO *&c. &c. quod filiam suam Celsissimam* DN. MAGDALENAM SIBYLLAM, *Serenissimo ac Celsissimo Principi Duciq; Mecklenburgico* DN. GUSTAVO ADOLPHO, *&c. &c. Principi & genere, & animi, fortu-*

fortunæq; dotibus ipsi respondenti elocaverit, eâ quâ decet religione gratulabitur. Alter autem, similiter virtute indoleq; Nobilissimus, D. ERNESTUS COTHMANNUS *Mecklenburgicus, Viri Magnifici, Nobilissimi, Excellentissimi, Dn.* JOHANNIS COTHMANNI, *S. R. J. Comitis Palatini, Mecklenburgici Consiliarii, ac Cancellarii gravissimi filius, suum quoq; Serenissimum Celsissimum, Principem ac Dominum,* DN. GUSTAVUM ADOLPHUM, *&c. &c, quod tanti in Romanô Imperio Principis filiam, tantô natalium, animiq; ornamentorum splendore illustrissimam Principem, in suavissimam vitæ thoriq; sociam elegerit, devotissimè celebrabit. Hos vero Ego, mox subsequar; & utriusq; Serenissimi ac Celsissimi Principis & Ducis, partim* DN. FRIDERICI *&c. &c. tanti Principis* SOCERI; *partim* DN. GUSTAVI ADOLPHI, *&c. &c tanti itidem Principis* GENERI *fortunam; quæ ab ipso* DEO. OPT. MAXIMO *processit, debitâ observantiâ prædicabo. Et exoptarem equidem animitus, ut vel ipse Serenissimus ac Celsissimus Princeps & Dux Mecklenburgicus,* DN. GUSTAVUS ADOLPHUS, *ipsissima clementiæ imago, vultum illum suum amœnissimum, in quo tot emicant dotes, & cujus spectaculô, antè menses aliquot,* ACADEMIAM HANC *gloriosiorem illustrioremq; reddidit; ut inquam* NOBIS, *ad brevissimum hoc tempus, clementissimè communicaret. Sed hæc* DIVINÆ PROVIDENTIÆ *piissimè commendentur, quæ clavum universi regit, suo semper operi assidua atq; intenta; & quæ, si omnium mortalium, certè ac præcipuè* PRINCIPUM, *qui in hisce terris, vicariâ ergâ humanum genus, ac divinâ quodammodo vice funguntur, pectora dirigit, eorumq; voluntates, ut piis ac candidis inferiorum quoq; annuant votis, impellit. Cui Ego innixus, ad hunc* SOLENNEM ACTUM, *qui proximè sequenti die* JOVIS, *in* AUDITORIO MAXIMO, *ab horâ Nonâ celebrabitur,* TE MAGNIFICUM *Dn* RECTOREM. *Vos* REVERENDOS PLURIMUM, EXCELLENTISSIMOS, CLARISSIMOS, *Dnn.* PROFESSORES, DOCTORES, LICENTIATOS, VERBI DEI MINISTROS, *Phil. & Art.* MAGISTROS; *Vos quoq;* NOBILISSIMOS AC PRÆSTANTISSIMOS, *Dnn.* STUDIOSOS. *Vos deniq; Omnium Ordinum, in hacce Urbe, tum literarum, tum literatorum* FAVITORES *maximos, vestris titulis honoratissimos, eâ quâ par est decentiâ invito, amicissimèq; oro; ut Vestrum propensissimum, quem toties exhibuistis affectum, huic pio & æquissimo nostro instituto declaretis; ut vestram honorificam ac frequentem præsentiam, in luculentum, magni vestri ergâ* CELSISSIMOS PRINCIPES, *cultus & amoris testimonium, ultrò* NOBIS *concedatis. Deniq;, cum Vobis* CELSISSIMORUM PRINCIPUM *salutem & incolumitatem cordi & amori esse, non dubitemus; ut* ÆTERNUM *illud* NUMEN, *huic novo, fortunatissimo ac desideratissmo conjugio, perennitatem additurum, unâ mente & voce* NOBISCUM *veneremini.* P. P. ROSTOCHII *die 7. Januarii, Anni hujus, à precisiosissimâ mundi, per* SALVATOREM JESUM *redemptione, Millesimi Sexcentesimi Quinquagesimi quinti; quô, Omnibus & Singulis, felicissimum, ac Ecclesiæ, Reipublicæ salutarem, rerum gerendarum successum cordicitus apprecor.*

(Post

(*Post primum Musarum concentum.*)

PRÆLOQUEBATUR

LAURENTIUS BODOCK,

J. U. D. Orator. Professor & Colleg. Philosoph. SENIOR.

SERENISSIME, CELSISSIME PRINCEPS, AC DOMINE,

DN. GUSTAVE ADOLPHE,

&c. &c. &c.

Quem in hoc Viro Generoso ac Magnifico, Celsitudine tuâ dignissimo DN. LEGATO; (coram Magnifici DN. RECTORIS, Virorumq; Reverendorum, Excellentissimorum, Consultissimorum, Amplissimorum, Clarissimorum CONSESSU. ut & coram Nobilissimâ Studiosorum, aliorumq; Hospitum honoratissimorum CORONA,) & devotissimè intueor, & religiosissimè veneror,

FOrtunatissimum tuum THALAMUM, quem nuperrimè elapsi ANNI M. DC. LIV. Mense Novembre, cum Serenissimâ & Celsissimâ Principe, tot Regum, tot Principum stemmatibus coruscante, DN. MAGDALENA SIBYLLA, in illâ arce Gottorpiensi, sede gloriosissimorum Heroum celeberrimâ inieras, non pos-

ſum ingratâ taciturnitate ſupprimere, ſiccoq; quaſi pede, absq; ullo debiti cultus teſtimonio præterire. Divinæ quippè confiſus providentiæ, certiſſimas in pectore meo ſpes concipio, quod videlicet ex hocce Tuo SERENISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, auſpicatiſſimo, (quem ſola DEI adornavit clementia) thorò, & in hancce MEGAPOLIM ac HOLSATIAM, & in hanc Academiam noſtram, & in Nos omnes, copioſiſſimi omnigenæ felicitatis rivi redundare, ſvaviſſimiq; plurimorum bonorum fructus, ex eodem ipſo ſuccreſcere debeant. Et ut ingenuè fatear, non exiguâ ante triennium Sereniſſimi ac Celſiſſimi Principis & Ducis Holſatiæ, DN. FRIDERICI, Soceriq; Tui æternum venerandi &c.&c. maximâ verò Tuâ SERENISSIME & CELSISSIME PRINCEPS *clementiâ*, adeò obſtrictus ſum, *ut ſatius mihi vitam ex hoc corpore eripi patiar, quam feliciſſimas has Nuptias, in quas ipſum cœlum, ipſæ Charites conſpiraſſe videntur obmuteſcam; illorumq; infamem mortalium numerum augeam, qui* ob unicum ingratæ mentis ſcelus, illam turpem notam, quam olim SULLA ATHENIENSIBUS inuſſit, merentur.

Adſum itaq; hic, Honorificentiſſimi Omnium Ordinum Auditores; adſum; hoc novum caſtiſſimi amoris fœdus, cœlitus confirmatum, quò Illuſtriſſima hæc & candidiſſima pectora, arctiſſimo nexu coaluerunt, piiſſimè celebraturus. Et in eum finem, non adducam huc Vulcanum, qui cænam coquat; non CUPIDINEM qui pocula miniſtret; non FLORAS, quæ roſis & floribus omnia purpurent; non GRATIAS, quæ balſama ſpargant; non VENEREM, quæ hic laſcivius ſaltet; non SATYRUM qui tibiam inflet; non PANISCUM, qui ad fiſtulam dicat; neq; alia fœdiſſima *Idolorum*

lorum monstra huc traham, quæ ad illustrandam magis felicitatem nuptialem, insana illa, superstitiosaq; Antiquitas adhibere solebat. Verum adjungam mihi duos, Nobilis & eximiæ indolis Juvenes, Optimorum Parentum, ac præclarissimè de Patriâ, de Celsissimis suis Principibus promeritorum Filios. Quorum unus; nimirum JACOBUS PREUSER Holsatus, suo Serenissimo & Celsissimo Principi & Duci Holsatiæ, DN. FRIDERICO, &c. &c. Domino suo Clementissimo, quod Filiam suam Celsissimam, DN. MAGDALENAM SIBYLLAM, tantæ prosapiæ, tantarumq; dotum Principi elocaverit, religiosissimè congratulabitur. Alter verò ERNESTUS COTHMANNUS Mecklenburgicus, suo quoq; Serenissimo ac Celsisimo Principi & Duci DN. GUSTAVO ADOLPHO, quod tanto natalium, aliorumq; ornamentorum splendore inclitam Principem, vitæ conjugalis consortem acceperit, faustisima quæq; precabitur. Ego autem, pium ac devotum juvenum horum, non mediocri conatu ad gloriæ metam contendentium propositum collaudans, Utriusq; Serenisimi & Celsisimi Principis ac Ducis, DN. FRIDERICI, tanti Principis SOCERI; & DN. GUSTAVI ADOLPHI, tanti PRINCIPIS GENERI fortunam, quam sera honorabit posteritas, venerabor. Vos jam Omnium Ordinum Auditores, Vestris titulis Honoratisimi, quicunq; adestis, Musarum ipsarum, hisce Serenisimis Principibus, suis Patronis, suiq; Nutriciis, æternum obligatisimarum, hilaritatem æmulemini, frontesq; vestras, in sanctioris lætitiæ simulacrum explicate. Non enim competit, quod felicatatis principium putatur, tristori auspicio funestare, neq; decet desideratissimam felicitatem, ad NOS etiam, DEI auxilio, ex hoc conjugio devolvendam, lugubriori facie

contaminare. Deniq; partim Nobili indole & virtute conſpicuis hiſce Juvenibus, partim mihi ipſi, benignisſimas & benevolentiſſimas aures, per breviſſimi ſanè temporis ſpacium præbete. Et ſimul, quod inter publica gaudia, cum omnibus bonis, Muſas has agere videtis, tanto Provinciarum, Academiæ, Urbis hujus, omniumq; noſtrum bono, in Domino exultate.

(Poſt ſecundum Muſarum concentum)

GRATULABATUR.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN. FRIDERICO

Duci Holſatiæ &c. &c. &c.

JACOBUS PREUSER, HOLSATUS.

ABſit SERENISSIME FRIDERICE, quem devotæ mentis oculis intueri licet; abſit inquam à me, tantum nefas, ut hodiè ad maximam tuam, præſentis temporis felicitatem, mutus & elingvis conſiſtam; quam patria mea dilectiſſima, Tibi verò ad ſempiterna ſubjectiſſima officia, HOLSATIA, religiosè veneratur; & quam O venerande orbis noſtri Cymbrici Atlas, O benigniſſime patriæ noſtræ Pater, uti ab unicà DEI Optimi benignitate profectam, fauſtiſſimis ominibus proſequitur. Quarè & ego, cujus parentem piè jam denatum, ſummis favoribus ac beneficiis mactaſti, æternum Sereniſſimæ tuæ Celſitudini, totiq; regiæ Proſapiæ Holſaticæ obligatiſſimus, in hoc Nobiliſſimo literarum, quibus ſummoperè faves Emporio, hodiè idipſum faciam, & in mentis meæ gratæ teſſeram, beatiſſimum tuum hodiernum ſtatum, pro ingenii & eloquii tenuitate, breviſſimo hoc Sermone celebrare conabor. Et tu Sereniſſime Princeps, pro tuâ ſtupendâ, nec ſolum patriæ, ſed & orbi notâ clementiâ, meæ imbecillitati ſuccurres, animumq; meum gratiſſimum. præter quem, in tantorum beneficiorum redhoſtimentum, nihil in vitâ meâ obtineo, benigniſſimè interpretabe-

pretaberis, Non hic produco Sereniſſime FRIDERICE, vir tutum tuarum heroicarum laudem, quæ ſola & unica, tanquam propria & veriſſima animæ noſtræ bona, ſui poſſeſſorem beatiſſimum reddunt; & quarum, Tu Sereniſſime, ſvaviſſimam fragrantiam, non intra teipſum ſolum, neq; ſaltem juxta Tui GOTTORPII, tuæq; HOLSATIÆ terminos detinuiſti, verum illam quoq;, in Romani Imperii, aliorumq; remotiſſimorum regnorum amplitudinem emiſiſti; non aliter ac ungventum odoriferum, quod gratiſſimum odorem ſuum in ſe ipsô occluſum non detinet. ſed protinus eundem aliò ablegare, aëremq; etiam longius diſſitum penetrare conſvevit.

Neq; eam huc felicitatem Tuam, & quidem ingentem, SERENISSIME PRINCEPS adduco, quam prioribus temporibus, à Divinâ Clementiâ expertus fuiſti; quando nempè duas filias Celſisſimas, Illuſtrisſimis ac Celſisſimis Romani Imperii Principibus, Heroibus, tum Proſapiarum, ANHALTINÆ videlicet & HASSIACÆ in Orbe celebratisſimarum, tum præclarisſimorum ſagô totàq; facinorum ſplendore ac gloriâ, immortali famæ conſecratis; tertiam verò nuper Serenisſimo & Potentisſimo Regi Sveciæ, Principi immortalem gloriam jam aſſequuto, tradidiſti. Quis enim eſt in hacce mundi *Univerſitate, qui Te vel ideò felicem ac beatum neget* SERENISSIME? *qui per tam auſpicatisſima illuſtrisſimarum filiarum* connubia, fluxæ ac caducæ mortalitati, tuæq; regiæ familiæ, ut futuris etiam floreret ſeculis ſubveniſti, & tam inſignes generis propagatores, à Solâ & unicâ munificentiâ DEI præpotentis accepiſti. Quippè ſolus & unicus.

Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna ſemper ſobole repararet novâ.

Verum enim verò, hancce unicam proſperitatem tuam SERENISSIME, in medium accerſo, quam luculentisſimè, ANNI præterlapſi, menſe Novembre ſenſiſti; quando videlicet Celſisſimam filiam tuam, MAGDALENAM SIBYLLAM, non ſolum naturæ dotibus, ſed & virtutum ſummarum prærogativis Illuſtrisſimam, Serenisſimo ac Celſiſſimo Principi ac Domino, DN. GUSTAVO ADOLPHO, Duci Mecklenburgico, & Principi tum generis dignitate parentumq; gloriâ, tum corporis & fortunæ, tum, quod maximum eſt, animi ornamentis ſimillimo, ad perpetuam vitæ thoriq; ſocietatem obtuliſti. Quod etenim æqualitatem vel paritatem generis concernit; aprico die clarius patet, quod utraq; ſanè, Mecklenburgica & Cimbrica Regiaq; Proſapia, ipsâ antiquitate tot ſecula poſt ſe reliquerit; quod utraq; tot Reges, Principes, tot Heroes inclytos, orbi exhibuerit.

Et quod attinet Sereniſſime, Celſiſſimum tuum generum, GUSTAVUM ADOLPHUM. Lucebant olim in ipſius Regiâ; nam ab ipſis Regibus deſcendit, Proſapiâ, illi ANTHYRII, WISIMARI, HILDERICI, BILLUNGI, PRIMISLAI, BUREVINI, JOANNES THEOLOGI, HENRICI HIEROSOLYMITANI, Herulorum & Obetritarum Reges, Principes Mecklenburgici, Majores Remotiores Sereniſſimi GUSTAVI ADOLPHI. Lucebant inter plures alios, JOANNES ADOLESCENTES, HENRICI PINGVES, MAGNI, ALBERTI, JOANNES ALBERTI, Principes & Duces Mecklenburgici, Quatritavi, Tritavi, Atavi, Abavi, Proavi, Avi paterni, Sereniſſimi GUSTAVI ADOLPHI, Heroes profectò Summi, qui tot regnorum ac imperiorum famam, aut Marte aut Minervâ, in Orbe obtinuerunt. Lucebant in hocce mundo non minus, illi HENRICI, SIFFARDI, BERNHARDI, WOLFGANGI, ERNESTI, GEORGII, JOACHIMI, CHRISTIANI, Majores Sereniſſimi GUSTAVI ADOLPHI Materni, Principes ANHALTINI, Heroes me hercule! ſuis ſeculis majores, & quoad famæ celebritatem, etiam nunc poſt fata, in poſterorum memoriâ perenantes. Luxit in hacce Megapoli, antè annos viginti & aliquot, glorioſiſſimus ille JOANNES ALBERTUS, Sereniſſimi DN. GUSTAVI ADOLPHI parens dilectiſſimus, Princepsq; Laudatiſſimus; quem alii, dum viveret, Servatorem; alii parentem; alii Principem omnium, qui unquam fuerant, optimum prædicabant. Et Lucet adhuc, utinamq; ad ſeram usq; ac tardiſſimam luceat ætatem, hujus ſeculi in ſexu fœmineo decus, MARIA ELEONORA, amantiſſima Sereniſſimi GUSTAVI ADOLPHI genitrix, Princeps, cujus pietas, candor, conſtantia in adverſis, cæteræq; virtutes heroicæ, mortalium oculos ac admirationem, in ſe, jure merito convertunt. E quibus omnibus Mecklenburgicis & Anhaltinis Heroibus, rerum geſtarum magnitudine maximis, quibus Sereniſſimus GUSTAVUS ADOLPHUS, ſuam debet originem, agnoſcis SERENISSIME FRIDERICE, quod parem eminentiâ natalium Principem, Celſiſſimæ tuæ filiæ, conjugio & quidem proſperrimo aſſociaſti. Et ô te feliciſſimum SERENISSIME FRIDERICE, qui non cæco impetu ad nuptias filiæ tuæ Celſiſſimæ properaſti, & antequam Tibi generum, Ipſi verò maritum conciliares, in nihil magis quam in generis æqualitatem mentis oculos conjeciſti. Ad quam qui non reſpexerunt, DEUS immortalis! in quotnam ſtrages, in quotnam calamitates, in quotnam clades, in quantam perniciem ſuos infelices liberos, ac ſe ipſos præcipitarunt? Deberem jam in medium producere, & illam tuam SERENISSIME FRIDERICE felicitatem, quæ ex

paritate

paritate tum formæ, tum fortunæ bonorum proficiſcitur. Nam ſi SERENISSIME FRIDERICE, Celſisſima Tua filia, MAGDALENA SIBYLLA, decenti etiam pulchritudine corporis effulget, communemq; illam cum illis Divis, quæ olim in Cymbricâ & Saxonicâ Proſapiâ, uti virtutibus, ita ſpectabili membrorum honeſtate floruerunt, obtinet. Certè Serenisſime FRIDERICE, Serenisſimus GUSTAVUS ADOLPHUS, Heroicam & ſpectabilem formam, ordinariam quaſi in Domo Mecklenburgicâ; communem, cum ſuis majoribus Mecklenburgicis, ac præcipuè cum illô ALBERTO FORMOSISSIMO nuncupato, imò cum ſuo immortali parente JOANNE ALBERTO, tantâ non oris modò aut vultus, ſed totius corporis pulchritudine conſpicuis Heroibus, ut ipsô aſpectu, imago quædam ingenitæ virtutis atq; honeſtatis in ipſis emicaret. Et ſi Serenisſime FRIDERICE, filiam tuam Celſisſimam, bonis fortunæ, Deus Opt: Max: inſtruxit! inſtruxit ſimiliter iisdem, Serenisſimum GUSTAVUM ADOLPHUM, qui hæres eſt & ſucceſſor Mecklenburgici Soli, ac paternarum ditionum; & qui illas, cum admirandâ prudentiâ, in tam floridâ ætate moderatur. Sed cum forma corporis, ſit fluxum lubricumq; hominis bonum, quod non ſolum ætate aut morte, ſed minimô etiam morbo flacceſcit, & perit. Et cum fortunæ quoq; bona, non aliam à fortunâ nacta ſint naturam, cum illâq; ſubitò elabantur, vel furibus, vel incendio, vel temporum injuriis, vel aliis inopinatis caſibus, ſuos derelinquant poſſeſſores. Idcircò ad ſolidiora bona, ad eximias nempè dotes & virtutes, ad vera & propria animi ornamenta pergo: Quibus, quod Filiæ tuæ Celſiſſimæ, SERENISSIME FRIDERICE, SERENISSIMUS GUSTAVUS ADOLPHUS pulcherrimè reſpondeat, felicisſimum Te, magnôq; Dei munere affectum, nemo niſi inſani ſincipitis homuncio negabit. Etenim, tam inſignis æqualitas, dotumq; harmonia, ut â nullô mortalium peti debuit, ita â nullo niſi â Deo ſperari potuit. Et quia nemo hominum, præter DEUM ſolum, ipſa etiam pectorum meditullia penetrantem, internas affectiones Tuæ filiæ Celſisſimæ, Tuiq; generi Serenisſimi agnoſcit, nullus etiam præter illū unicum, tantam quoad animi dotes, inter illam, & Serenisſimum GUSTAVUM ADOLPHUM, paritatem ac harmoniam, procuravit. Qui, par eſt Celſisſimæ MAGDALENÆ SIBYLLÆ, ardente ergà Numen Supremum pietate; quem DEUS ipſe afflat Spiritu SAMUELIS, tanquam aurâ cœleſti; quem DAVIDIS notionibus, tanquam divinæ flammæ tædis flagrantibus incendit. Par eſt admirandâ clementiâ; quem fama conſentiens, amorem & delicium, nō ſolū orbis Mecklenburgici, ſed aliorū etiam hominum appellat. Par eſt comitate & modeſtiâ; qui ſciens omnium extrinſecus venientium bonorum, lubricam & incertam eſſe poſſeſſionem, quò altius eum fortuna evehit, eò magis ſe reprimit, magnamq; felicitatem modeſtisſimè concoquit.

Par est candore & sinceritate, qui Parentis Glorioſiſſimi JOANNIS ALBERTI jam denati, & Sereniſſimæ Matris MARIÆ ELEONORÆ adhuc ſuperſtitis, ſinceriſſimo pectore præditus, nullos majori odiô quàm eos proſequitur, qui facies ſuas ad omnem honeſtatem compoſitas fingunt; cum intus meris ſceleribus & fraudibus inæſtuent. Par eſt conjugali caſtitate, qui cum prius ab impurioribus voluptatibus, vagâq; libidine ſemet alienum exhibuiſſet, nunc proprii thalami legem inviolatam tenebit; nunc alterum SCIPIONEM in Mecklenburgico Solo præſentabit; qui alienam, nempe Certiberorum Principis devicti ſponſam, ad aſpectum etiam non admiſit, nè quid vel oculis de caſtitate illius delibaſſe videretur. Par eſt cæteris heroicis virtutibus, ob quas apud ipſos etiam infimos, Optimi Principis cognomen reperit. Scilicet, ut radii Solis, in loca etiam deteriora & obſcuriora conjecti illuſtrant, non inquinantur; ſic ille, vel inter inferiores ſqualentesq; animos, non ſolum natalium, ſed etiam virtutum ſuarum luce reſplendet. Et ultrà tantarum Virtutum harmoniam & paritatem. Noſti optimè, Sereniſſime FRIDERICE, heroicam Sereniſſimi GUSTAVI ADOLPHI indolem, qui inſtinctu quodam & afflatu divino, literas, altrices laudis, educatrices gloriæ, famæ nutrices, immortalitatis pararias & conſervatrices, animitus amplectitur; qui ab illo JOHANNE THEOLOGO, ab illo JOANNE & ALBERTO, Academiæ hujus celeberrimæ, antè duo ſecula fundatoribus; ab illo HENRICO PACIFICO, BALTHASARE, ULDARICO, Principibus Mecklenburgicis; ab illo JOANNE GEORGIO, JOACHIMO, principibus Anhaltinis, qui ſummæ eruditionis & amoris ergà eruditos gloriam famamq;, cœlo & aſtris terminarunt; qui inquam ab illis præclariſſimis paternis & maternis majoribus concitatus, non tam æſtimat, quam aliis Principibus, doctrinam & eruditionem, exemplô ſuô commendat; absq; quâ, dicant quid velint literarum oſores putidiſſimi, nec ſecum vivere Principes, nec aliis præeſſe poſſunt; quâ verò Sereniſſimus GUSTAVUS ADOLPHUS inſtructus, in ætate tam florenti, quam ſummis honorum faſtigiis, Antiquitas illa dignari nolebat, quaſi è triplici vultu conſtans (ut olim Priſci Romani prudentiam pinxerunt) & præſentia accuratè ordinans, & præterita firmâ memoriâ conſervans, & futuris magnâ ſolertiâ providens, tantâ prudentiâ, tantâ æquitate, tantâ temperantiâ, tantâ fortitudine animi imperat, ut ſe felicisſimam tota clamitet Megapolis, quod hocce Principe, omni virtutum genere Excellentisſimo fruatur; nihilq; aliud continuis precibus, imò ſupinis manibus ab immortali Deo expetat, quam ut tantum cœli depoſitum, toti Provinciæ diutisſimè in hiſce terris conſervet. O itaq; te fauſtisſimum Sereniſſime FRIDERICE, qui tantarum virtutum Principem, tuæ Celſisſimæ filiæ maritum, & generis, & fortunæ, & corporis, & animi dotibus ipſi æqualem, es adeptus. Ex quâ jucundisſimâ

disſimâ æqualitate, quænam obſecro non prodibunt proſperitates? quænam per Deum non redundabunt bona? quæ non mediocri animi voluptate Paternum tuum pectus afficient. Redundabit etenim, ex hac æqualitate, intimus conjugalis amor, quô ſe invicem hæc candidisſima & puriſima pectora complectentur. Erit quippè ut cum Sapientiſſimo Salomone Cant. 2. loquar, Celſiſſima MAGDALENA SIBYLLA Sereniſſimo GUSTAVO ADOLPHO, *ſicut Lilium inter ſpinas. Erit ſimiliter*, Sereniſſimus GUSTAVUS ADOLPHUS Celſiſſimæ MAGDALENÆ SIBYLLÆ, *ſicut malus inter ligna ſylvarum.* Quoniam Celſiſſima MAGDALENA SIBYLLA ſicut lilium flagrantiſſimum, odore virtutum coloreq; venuſto, recreabit & demulcebit Sereniſſimum GUSTAVUM ADOLPHUM; qui alia fœminei ſexus individua, non aliter, atq; ſpinas pungentes reputabit. Nec alius erit GUSTAVUS ADOLPHUS, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, quam malus pulchris & odoriferis referta pomis; qui, cætera etiam virilis ſexus Exempla, non pluris, quam ligna ſylveſtria & horrida, quæ inſulſos atq; amaros fructus proferre conſveverunt, æſtimabit. Redundabit ex hac æqualitate, acris ac penetrans vitæ connubialis voluptas, omniq; naturæ neceſſitudine potentior, animorum corporumq; conjunctio, quæ hos Celſiſſimos Compares, ita devinciet, ut rectè æſtimantibus, neutiquam plures eſſe videantur. Nam

-- -- -- Sic nutrit amorem
Alterius magnus amor, ſic ignis ab igni
Pabula data capit.

Redundabit, ê tam eximiâ paritate concordia, inæſtimabilis ille conjugii theſaurus. Et quemadmodum infernum in hiſce terris poſſident, qui diſpares & diſſentientes animos in matrimoniô gerunt, Sic Celſiſſimus GUSTAVUS ADOLPHUS, & Celſiſſima MAGDALENA SIBYLLA cœlum in hacce vita habebunt! qui cœleſtem animorum conſenſum, ad extremam vitæ metam conſervabunt; quosq; multò arctioribus vinculis, mutuus ingeniorum, quam corporum nexus conjunget. Silentiô involvo plura alia, ê tam æquali cõjugio profectura bona, quæ Tu SERENISSIME PRINCEPS, Deo Duce & Auſpice experieris, mirumq; in modum non ſolum tui Celſiſſimi Generi, ac Celſiſſimæ Filiæ; ſed etiam tui ipſus felicitate, ſpiritus tuos Generoſiſſimos; at tot curis, tot laboribus, prô ſalute provinciæ, prô ſubditorum incolumitate & fortunis defatigatos, ſvaviter recreabis. Quam tandem, ſuprema felicitas, quæ è caſtiſſimo thoro, ſuffragante benignitate divinâ

emanare ſolet, DEO auxiliante ſubſequetur. In quô firmiſſimam noſtram collocamus fiduciam; quod Tu nimirum, SERENISSIME FRIDERICE, ad complementum tantæ felicitatis, ſtirpis tuæ regiæ ſurculos, conjugali hac propagine ſuccreſcentes videbis. Speramus, cum totâ HOLSATIA, atq; cum ipſi jam affinitate juncto MECKLENBURGO, quod ê Sereniſſimo GUSTAVO ADOLPHO genero tuo, & ê Sereniſſimâ MAGDALENA SIBYLLA, filia tuâ Illuſtriſſimâ, eam prolem aſpicies; quæ & Tuam Regiam, & tuæ cariſſimæ conſortis MARIÆ ELISABETHÆ Electoralem indolem, vivis coloribus exprimet; quæ illorum JANORUM ADOLPHORUM, ADOLPHORUM, FRIDERICORUM, CHRISTIANORUM, Regum Daniæ, Norwegiæ, Sveciæ, potentiſſimorum, Principum paternæ ac Regiæ proſapiæ eminentiſſimorum; quæ deniq; JANORUM GEORGIORUM, CHRISTIANORUM, AUGUSTORUM, HENRICORUM piorum, ALBERTORUM animoſorum, Heroum maternæ ac Electoralis Saxonicæ Domus laudatiſſimorum, ingenium mentemq; ſpirabit. Speramus SERENISSIME FRIDERICE, cum omnibus bonis; quod poſt fata, quæ tardiſſima opto, non ſolum in liberis, ſed etiam in Nepotibus, Pronepotibus, Abnepotibus perennabis; quod in illis, futuris etiam ſeculis reputeſces; quod ſanguinem Tuum Regium (quæ ineffabilis erit Tua SERENISSIME felicitas, & cum nullâ in hac mortalitate comparanda) ab internecione vindicabis.

Sed jam in hodiernâ tuâ felicitate, SERENISSIME PRINCEPS, publicæ felicitatis HOLSATICÆ Auctor, alterq; Soli Cymbrici TRAJANE ſubſiſto; Supremumq; Numen devotiſſimé oro, ut illam nullus amplius mœror, nullus lugubris caſus, nullaq; adverſa viciſſitudo contaminet; ut Sceptrum tuum, quod per tot annos, tantâ prudentiâ tantâq; famæ celebritate geſſiſti, & quod etiam potentiſſimi Reges ac Principes, è regnis â Septentrione remotioribus venerati ſunt, adverſus omnes temporum, fortunæq; injurias, vel ad noviſſimum mundi terminum, immotum perſiſtat. Deniq;, ut Tu SERENISSIME PRINCEPS, cum SERENISSIMA filiâ tuâ MAGDALENA SIBYLLA, & cum SERENISSIMO Genero GUSTAVO ADOLPHO, ac cum totâ Proſapiâ Regiâ Holſaticâ, aliisq; inclitis ipſi affinitate devinctis familiis, nihil mortale amplius ſentiens, tardiſſimô die, qui vel Pronepotes, aut Abnepotes tuos lateat, cœlo illi, ê quo ante annos quinquaginta octo, maximo HOLSATIÆ noſtræ ornamento & emolumento delapſus eras, reſtituaris.

DIXI.

(Poſt

(Post tertium Musarum concentum)

GRATULABATUR.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Duci Mecklenburgico &c. &c. &c.

ERNESTUS COTHMANN,
MECKLENBURGICUS.

EGO quoq; SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, quem quasi præsentem, animô aspicio, illorum ingratissimorum mortalium consortiô dignus judicarer; quorum animis beneficia citius effluunt, quam doliis Dannaidum infusæ aquæ, & in quorum propè manu, nè dicam mente ingratissimâ, benefactorum alienorum memoria perit. Si in tanto omnium bonorum, publicoq; gaudio, in tantâ Provinciæ, totiusq; populi lætitiâ, Tibi PRINCEPS Benignissime, qui cum Æterno tuo Parente JOHANNE ALBERTO, jam de vitæ ærumnis, inter Sanctissimos Spiritus triumphante, dilectum patrem meum, maximâ clementiâ deviciſti; gratissimum ad minimum pectus meum non contestarer. Quarè hominum satius honestorum, qui beneficia vel minima, æternæ recondunt memoriæ, cœtum augere expetens, tuorum SERENISSIME beneficiorum memoriam, nunquam in pectore consenescere patiar, fortunamq; tuam hodiernam, ore quidem minimè facundo, sed corde devotissimo honorabo. Tu vero SERENISSIME AC CELSISSIME Princeps, conatum meum, licet infrà meritum, licet imparem voluntati, prô illâ tuâ admirandâ benignitate, benevolentissimè susciPies; & quia Tuam felicitatem, omni laude, omniq; voce sublimiorem, nè quidem adumbrare potero, veniam facilè exhibebis.

Non sufficiebat SERENISSIME ET CELSISSIME GUSTAVE ADOLPHE, ut satis felix ac beatus esses atq; ab omnibus censereris; non sufficiebat inquam, tantâ in DEUM pietate, tantâ æquitate, tantâ clementiâ, tantâ temperantiâ, tantâ animi veràq; fortitudine, tantô candore, tantâ eruditione, tantô literarum literatorumq; amore, qui jam posterorum memoriæ consecratus est, tantis deniq;, ac tot Virtutibus heroicis, non solum in MEGAPOLI, vel HOLSA-

TIA, ſed & in GERMANIA, HOLLANDIA, GALLIA, ITALIA, in univerſo fermè ROMANO IMPERIO, cæterisq; regnis inclaruiſſe, & jam apud omnes mortales, æternum ſummarum Virtutum Nomen promeritum fuiſſe. Non ſufficiebat in tam tenerâ, ſed ſummâ prudentiâ conſpicuâ ætate, cum perpetuâ gloria, totiusq; populi amore, ad clavum Imperii Mecklenburgici nuper conſediſſe, maximisq; illis, bello & pace in Orbe celeberrimis Principibus, uti ALEXANDRIS MAGNIS, SCIPIONIBUS AFRICANIS, POMPEIS, AUGUSTIS accenſeri, qui ob incomparabilem, ætatemq; ſuperantem prudentiam, habenas Regnorum, non absq; ſtupore rexerunt. Deerat videlicet TIBI, SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, hodierna felicitas, ut TE videlicet, in illum Sacrum Ordinem reciperes, quò quid quæſo ſanctius inveniri poteſt, quem ipſe Supremus rerum Opifex Deus inſtituit? quid ſanctius, quem Chriſtus admirabilium ſuarum actionum primitiis conſecravit? Deerat hæc ingens fortuna; nimirùm, ut fidem tuam conjugalem ac caſtitatem thori legitimi, non alteri, quàm Divæ Cimbricæ, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, SERENISSIMI AC CELSISSIMI Ducis Holſatiæ, DN. FRIDERICI, Heroici pectoris famæq; celeberrimæ Principis filiæ, præteriti Anni 1654. Menſe Novembre, cum incredibili Provinciæ hujus voluptate, in Arce illâ Gottorpienſi præclariſſimâ, ſolenniter promitteres; cujus venerandô vultu, in quô tot virtutum decora reſplendent, totam hancce Provinciam nuperrimè recreaſti; & quæ Tibi SERENISSIME Dux, partim Parentum majorumq; gloriâ, partim corporis & fortunæ, ac quod præcipuum eſt, animi ornamentis perfectiſſimè reſpondet. Quippè, ſi illas Majorum imagines, ſi illa antiquiſſima & Illuſtriſſima Parentum Stemmata, Proſapiamq; Holſaticam reſpiciamus, eſt illa, quæ Regiâ Daniæ, Norvvegiæ, Sveciæ Majeſtate, ab aliquot ſeculis fulſit; eſt illa, quæ ſemper Exemplis Heroum Cimbricorum fuit refertiſſima, qui quâ armis, quâ virtute dignitatem Proſapiæ hujus, maſculè ſuſtinuerunt. Clariſſima eſt CHRISTIANIS, FRIDERICIS PRIMIS, ADOLPHIS, JANIS ADOLPHIS, Abavis, Proavis, Avis paternis, Regibus Daniæ, Norvvegiæ, Sveciæ potentiſſimis; Principibus ac Ducibus Holſatiæ; aliisq; Heroibus Univerſi Septentrionis, nullâ eloquentiæ copiâ ſufficienter deprædicandis. Clariſſima eſt, ALBERTIS ANIMOSIS, HENRICIS PIIS, CHRISTIANIS PRIMIS, JANIS GEORGIIS, Tritavis, Atavis, Abavis, Proavis, Avis maternis, Ducibus ac Principibus Saxoniæ veruſtiſſimis, Electoribus S. R. Imperii Eminentiſſimis, in quos confluxiſſe videbantur, omnes Optimorum Principum characteres. Clariſſima eſt, & ipſo Parente, tuoq; SOCERO, DEI gratiâ vivente, SERENISSIMO FRIDERICO, Principe à Regibus in Septentrione bellicoſiſſimis deſcendente, Principe Magnifico; quem non ſolum HOL-

SA-

SATIA, ſed etiam cætera regna remotiſſima, tanquam facem publicam, de cœlo, Romano Imperio delapſam, ſuſpicit. Clariſſima eſt, Matre Celſiſſimâ & inclitâ, MARIA ELISABETA, Matronarum hujus ſeculi Phœnice, Principeq; laudatiſſimâ. Equibus omnibus, Cimbricæ & Saxonicæ Domus Regibus, Principibus, Ducibus, ac Comitibus, Celſiſſimæ MAGDALENÆ SIBYLLÆ Majoribus ac Parentibus, luce meridianâ clarius patet, Tua SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, & cum pauciſſimis mortalium comparanda felicitas; dum videlicet parem Tibi natalium celebritate, Sereniſſimam MAGDALENAM SIBYLLAM, & quidem feliciſſimo conjugio aſſociaſti. Notum habens illud OVIDII.

Non honor eſt ſed onus, ſpecies læſura ferentes
Si qua potes apté nubere, nube pari.

Optimè quoq; edoctus, plerumq; filias parentum ſuorum mores, tum propter naturam, tum propter educationem exprimere, illas verò, nec in grandiori ætate honeſtatem ſectari, quæ ad ipſam, nec exemplò majorum, nec præceptis fuerunt inſtitutæ. Quid jam dicam de formâ ipſus corporis? quanquam illa non ſit tantum bonum, quod verâ felicitate ac diuturnâ hominem mactare poſſit; cum nihil ſit aliud, quam vanitas brevis, caduca, fugax, evanida, juxta Poetam, qui olim cecinit.

Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & ſpacio carpitur illa ſuo.

Nihilominus tamen, quia non mediocre DEI ipſius eſt Donum; quia plerumq; egregium corpus, egregiis, magnisq; virtutibus condecoratæ animæ eſt diverſorium, felicem Te jurè deprædico SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, quod, quoad hoc etiam bonum, non diſſimilem Tibi, nactus ſis vitæ & thori conſortem. Quæ, uti Tu ipſe SERENISSIME PRINCEPS, tam foris â corpore, quam intus ab animo, Princeps verè eſt Illuſtris & excelſa, immanè quantum differens abillis, quæ exterius membrorum decus, & ſpeciem nativam, interioribus animi nævis collutulant. Et uti Tu, ipſam etiam corporis elegantiam imperiô digniſſimam, communem cum Tuis Majoribus; aut ſi è priſcis illis Semideis citandus aliquis ad exemplum foret, communem cum CYRO, cum DARIO habes, quorum animis generoſis, adjunctam fuiſſe auguſtam corporis ſpeciem legimus. Simili pactô, tua SERENISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, non tantum eximiis animi dotibus, ſed etiam honeſtâ formæ venuſtate conſpicua eſt; quam etiam communem cum STATYRA DARII uxore, communem cum illis

Heroinis, quæ olim in CIMBRICA ET SAXONICA PROSAPIA, ſicut virtutibus ſuprà ſortem poſitis illius ſexus, admirabiles fuerunt; ſic membrorum honeſtate, aliis fœminis in ſimili dignitatis cacumine collocatis, antecelluerunt. Quid jam de fortunæ Bonis proferam? quanquam illa aliena ſatius ſint quam noſtra; quamvis vix digna plurimùm ſint, quæ in rationem bonorum veniant, niſi quatenus virtuti famulantur, quæ omnia repentina ſæpè calamitas, & miſeranda viciſſitudo conſequitur. Quia tamen & illa, ipſas Virtutes, præcipuè Heroicas illuſtrant, neq; mediocrem ipſis extrinſecum ſplendorem ſuppeditant. Et hic, Beatum Te non injuriâ celebro SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, qui non minoribus fortunæ muneribns locupletatam, SERENISSIMAM MAGDALENAM SIBYLLAM obtinuiſti. Quæ tam Potentis Principis in Romano Imperio eſt filia, tantisq; fortunæ donis, regiâ etiam majeſtate, non minus quam aliæ Sorores digniſſimis ditata, ut tùm generis felicitati & ſplendori, tum magnificentiæ Principis hujus fœminæ, abundè ſatis eſſe ab omnibus judicetur. Sed quia Omnibus hiſce bonis citò perituris, nec quidquam ſolidi in ſe continentibus, palmam præripiunt Virtutes, *magna illa & veriſſima* animi bona; quæ altiſſimis *defixa radicibus, nunquam ullâ vi, ullo caſu* labefactari poſſunt, *neq; unquam naufragiô, neq; incendio ſurripiuntur.* Quis Te jàm SERENISSIME PRINCEPS, fortunatiſſimum non aſſeverabit? qui cum SERENISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, Tibi non ſolum generis, formæ, fortunæ, ſed etiam ſummarum Virtutum ſublimitate ſimillimâ, in ſempiterni amoris teſſeram, inviolabili connubiali fœdere temet conjunxiſti. Quæ, æquat Te SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE pietate. Divino enim afflata ſydere, & Veri DEI ejusq; Verbi Sacri amore flagrans, humana verò deſpiciens, intemerata ſemper, inter tot Delicias, ſoliq; DEO conjuncta permanſit, nihilq; unquam peſtiferi liquoris, ad ſuam labem inſtillari ſibi permiſit. Æquat Te SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE clementiâ, potiſſimà dote in illuſtribus perſonis; quam ſanè virtutem, à tot Heroibus Cimbricis, & præcipuè, à glorioſiſſimo Parente FRIDERICO, altero TITO Holſatico, Amoreq; populi, quaſi jure hæreditario accepit; qui neminem à facie ſuâ clementiſſimâ triſtem diſcedere permittit. Æquat Te Celſiſſime GUSTAVE ADOLPHE candore animi, quem illa ex uberibus ipſis, Matris ſuæ pientiſſimæ, MARIÆ ELISABETHÆ Saxonicæ, integerrimi pectoris Principis, exſuxiſſe videtur. Æquat Te Humanitate & comitate gratiſſimâ, cujus leniſſimâ nube, ſplendorem illum, è tantis fortunæ bonis effulgentem obtegere conſvevit, ut eum imbecillior mortalium acies eò melius perferre poſſit; & quam neq; ferocem excelſiſſimæ indolis magnitudo, neq; ſuperbam clariſſimi ac regii generis nobilitas,

bilitas, neq; arrogantem, tanta majorum parentumq; fama unquam efficere poteſt. Æquat te Sereniſſime GUSTAVE ADOLPHE mente caſtiſſimà, quæ ut illibatam Virginitatem ad caſtiſſimum Tuum thalamum detulit, ità & in ipſô, illæſam conjugalem puritatem & fidem conſtantiſſimam conſervabit, Æquat pluribus aliis, & Principe præclariſſimâ, & tanti Principis filiâ, & tanti Principis Conjuge digniſſimis Virtutibus; Quas hæc Celſiſsima, tantæ majorum parentumq; claritudini anteponit, tum generoſisſimâ indolis bonitate, tum piisſimæ educationis ſtudiô edocta, quod Majorum Virtutes & decora, non propria ſint poſteritatis ornamenta; ſed illorum ſaltem præmia, qui ſuis auſpicium nobilitatis fuerunt, ac tantam gloriam aliis reliquerunt. Et quid obſecro boni? quid commodi? quid ſolatii? ex tam inſigni, quoad præſtantisſimas animi dotes, inter te Sereniſsime GUSTAVE ADOLPHE, & inter tuam Celſisſimam MAGDALENAM SIBYLLAM, æqualitate & conſenſu dimanabit? Dimanabit amor ſolidisſimus, quô Te SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE CELSISSIMA MAGDALENA SIBYLLA proſequetur, & quem nè ipſa mors dirimere & extingvere poterit. Erit enim Tibi Coſta ſvavisſima, & quemadmodum coſtæ cor hominis muniunt & protegunt; ità illa unicè te amabit SERENISSIME PRINCEPS; illa honorem, quietem, & vitam tuam, non aliter, ac proprium pectus, inſtar coſtæ conſervare conabitur. Emanabit mutua confidentia, ab omni prorſus zelotypiâ, ab omni ſuſpicione remota. Quibus teterrimis conjugii infortuniis, quicunq; ſemet macerant, felle amariorem vitam in matrimonio degunt; cum Zelotypia nihil ſit aliud, quam crudelisſimus quidam carnifex, conjugum mentes dirisſimè torquens; cum nihil ſit aliud ſuſpicio, quam putidisſimus vermis, continuò animum rodens & exedens. Emanabit dulcisſima concordia, perpetuaq; vitæ ac thori tranquillitas; quam non habent deplorandi illi Conjuges, qui continuis litibus ac diſſenſionibus quotidiè ſemet perimunt; qui ignem rixarum, ſemper in unâ domo, & in uno lecto excitantes, non ſolum ſe ipſos, ſed rem familiarem, ipſosq; liberos deperdunt. quis enim ignoret ex maritô & uxore, tanquam ex chalybe & ſilice colliſis, propter utriusq; duritiem, ingentem rixarum & diſcordiarum ignem excitari? qui, omnia planè, in vitâ Oeconomicâ devaſtet, populetur, conſumat, & ipſam familiam, in ipſum interitum redigat. Emanabunt CELSISSIME GUSTAVE ADOLPHE è tàm pari ac conſentiente in omnibus conjugio, plurimæ aliæ & maximæ voluptates. Quippè Illa, omnes Tuas curas & anguſtias placidisſimè leniet, & auferet. Illa, quæ jam Parentis in ſe amorem, tui amori poſtpoſuit; Quæ lares Cimbricos patrios, ſuamq; patriam, omnium mortalium cordibus inſculptam, ut

Oracula divina verificentur, tui amore deseruit, te unicum quolibet tempore spirabit, ex te unô solo & unico dependebit, tecum vivere, tecum emori exoptabit. Illa, tum præsentiâ suâ, vultusq; hilaritate, tum verbis amoris & obsequii plenis, graviores etiam anxietates (quas Deus avertat) gravissimâ diversione eximet & solicitudinis tuæ tædium dispellet. Erit illa, mellitissima ætatis tuæ floridissimæ socia, erit gratissima, (O quanta felicitas!) venturæ aliquandò senectutis, quam ex animô tota Provincia exoptat, solatium. Non erit (ut SECUNDUS Philosophus arbitrabatur) tuum naufragium; non erit domus tuæ tempestas; non erit vitæ captivitas; non erit leæna complectens. Sed erit placidissimus portus; erit pulchra domus tuæ Serenitas; erit aurea vitæ libertas; erit ovicula mitissima, quæ mansvetudinem oviculæ ubiq; imitabitur, & ubiq;, suis placidissimis moribus & actionibus, eandem vivis exprimet coloribus, Erit Tibi deniq;, SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE; erit inquam talis MAGDALENA SIBYLLA, qualis erat Cornelia suo Gracho, qualis erat Valeria suo Servio, qualis erat Martia suo corculo. Æmulabitur illa illas Julias, Porcias, Arthemisias, aliasq; honestissimas, ac in amore maritorum suorũ ardentissimas Matronas. Et in totâ hacce Megapoli, erit singulare in te fidei & amoris, imò ad miraculum Exemplum. O felicitatem tuam, CELSISSIME GUSTAVE ADOLPHE, cujus magnitudo obmutescere quem vis potius facit, quam dicendi materiam suppeditat, vel facundissimo Oratori. Ad quam accedet hæc etiam, & quidem humani ingenii, mortalisq; æstimationis supergressa fastigium felicitas, quâ nihil optatius à Deô immortali, in hac mortalitate, homini tribui potest. Exhibebit nempè Tibi SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, ut fœcundissima Mater, ex fertilissimo tuo thalamo, novos ac redivivos BUREVINOS, NICOLOTOS, JOHANNES THEOLOGOS, HENRICOS, MAGNOS, ALBERTOS, JOHANNES, JOHANNES ALBERTOS, Mecklenburgicos Principes, toto orbe, famâ facinorum præclarissimorum celeberrimos. Exhibebit ALBERTOS URSOS, BERNHARDOS, HENRICOS, SIGFRIDOS, ALBERTOS, JOHANNES, SIGISMUNDOS, GEORGIOS, ERNESTOS, JOHANNES, JOACHIMOS ERNESTOS, CHRISTIANOS, Principes Anhaltinos, qui immortalium suorum, Heroicorumq; factorum monumenta, in hocce mundo reposuerunt. Exhibebit novos GUSTAVOS ADOLPHOS, novas MAGDALENAS SIBYLLAS, novos Heroes & Heroinas; quæ quidquid dignitatis & excellentiæ in Patre, quidquid in matre pudoris, & aliarum virtutum est, id totum animô complectentur. In quibus Tu, in prolixissimam seculorum seriem vives; in quibus, manus quasi atrocis illius Libitinæ fugiens, apud ipsam posteritatem superstes remanebis.

Et

Et hæc est ineffabilis sanè, tua SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE felicitas, de quâ (ut olim de Carthagine pronunciavit Sallustius) tacere satius est, quam pauca dicere. Quarè ignosce obsecro SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, si ego Tuam felicitatem hodiernam, quæ summo animi gaudio, totam Provinciam perfudit, exiguâ voce meâ melius exprimere non valui. Suscipe satius prô tuâ incomparabili indulgentiâ, hoc quale tale, gratissimæ tamen mentis meæ, in Te SERENISSIME, totamq; Domum Mecklenburgicam, monumentum. Qui, ut mirum in modum, in præsenti Tuâ felicitate, cum hac totâ Academiâ, & cum Universô Mecklenburgô exulto; ita Supremum Numen devotissimis precibus efflagito, ut Tu SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, cum hac felicissimâ, uti vovemus, Principe, Celsissimâ MAGDALENA SIBYLLA, Tibi felicissimo Principi junctâ; cum hoc decore mulierum; cum hoc olim Holsatiæ, nunc Megapolis, vel utriusq; Provinciæ Delicio, quàm diutissimè rebus humanis, omni felicitate & gloriâ florentissimus convivas, & imperes.

(*Post quartam Musarum harmoniam*)

GRATULABATUR

TUM

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. FRIDERICO,

Duci Holsatiæ, ut SOCERO &c. &c.

TUM

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Duci Mecklenburgico, ut GENERO &c. &c.

LAURENTIUS BODOCK, J. U. D. Orator:
Professor, Colleg. Philosoph. SENIOR,

IUre meritò, Omnium Ordinum Auditores Honoratissimi, hi præstantissimi Juvenes, ad laudem decusq; Patriæ, & Parentum progeniti, SERENISSIMORUM, AC CELSISSIMORUM PRINCIPUM suorum, prosperitatem venerati fuere. Neq; ullus hominum, nisi qui vesanæ, vel impiæ mentis fuerit, reperietur; qui laudabilem hunc ipsorum conatum, non debitæ animi gratitudini, sivè non manifestæ, ergà publicæ

 salutis

ſalutis Depoſitores pietati imputabit. Quos & ego lubentiſſimè æmulaturus, hunc veſtrum exoptatiſſimum, SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPES, ſucceſſum, ſi penicillo APELLIS, celoq; LYSIPPI exprimere non potero, exiguô ore meô adumbrare conabor. Cum enorme eſſe facinus arbitrer, me quoq;, in tam communi HOLSATIÆ & MEGAPOLIS gaudiô ſilere, quem non ſatis celebranda, utriusq; Veſtrum clementia, æviternum ſibi obſtrinxit. Et ut abſq; ambagibus, ad TE SERENISSIME FRIDERICE, oculos mentis meæ deflectam. Tu PRINCEPS, antè plures annos florentiſſime & beatiſſime, Regiis Tuis virtutibus, ac heroicis, in feliciſſimo Regimine factis, altiſſimum gloriæ faſtigium, Magni Parentis, magnorum Avorum, Summorum Proavorum, Regiâ Majeſtate, in SEPTENTRIONE radiantium, faſtigiis continuum, inter ſumma Orbis Numina, pridem occupaſti; qui poſt DEI ſolius gloriam, poſt rectiſſimam operum conſcientiam, ad famigeratiſſimum nomen tuum, tanquam ad lucidiſſimam heroici ingenii facem aſpiraſti; illudq; non ſolum in ROMANUM IMPERIUM, ac SEPTENTRIONEM, ſed etiam in potentiſſima Orientalia regna, & in illud CYRI, ASIÆ totiusq; Orientis olim Triumphatoris imperium extendiſti. Quippè, nihil eſt in hac vitâ, famigeratiſſimo nomine pretioſius, quod AGESILAUS Rex, opulentiſſimo regno præpoſuit; quô, veteres ATHENIENSES, ſolidam felicitatem metiebantur; illumq; fortunatiſſimum, teſte ISOCRATE cenſebant, qui & ipſe ad maximam laudem vitam dirigeret, & honorificam liberis ſuis famam relinqueret. Sed & illis temporibus, non exiguum, in TE, SERENISSIME FRIDERICE, favorum theſaurum, FORTUNA, congeſſit, quibus videlicet, CELSISSIMAM SOPHIAM AUGUSTAM, CELSISSIMO PRINCIPI ANHALTINO, DN. JOHANNI &c. &c. & alteram CELSISSIMAM MARIAM ELISABETHAM, CELSISSIMO PRINCIPIac Landgravio Haſſiæ, DN. LUDOVICO &c. &c. Heroibus, qui tum ANHALTINI, tam HASSIACI ſtemmatis famam ſempiternam tuentur, felici matrimonio conſociari curaſti. Nec minorem, eadem ipſa, antè pauca tempora, in TE SERENISSIME FRIDERICE contulit, quibus, tertiam filiam tuam, CELSISSIMAM HEDEWIGEN ELEONORAM, Sereniſſimo & Potentiſſimo, Svecorum, Gothor: Vandalor: REGI, CAROLO GUSTAVO, Principiq;, qui non ita pridem, illi toto Orbe celebratiſsimæ CHRISTINÆ, redivivæ Svecorum PANTHASILEÆ ſucceſſit, & tam paruô tempore, nec unum SEPTENTRIONEM, nec unum Seculum, rerum geſtarum magnitudine replevit, ad caſtiſſimi legitimiq; thori ſocietatem tradidiſti. Sic etenim, SERENISSIME FRIDERICE, cum intercedente mortis imperio, æviterno regimine, ex com-

communi Nobiſcum decreto, mortalium res moderari nequeas, per tam auſpicata filiarum Excelſiſſimarum connubia, in tuis Nepotibus ac Pronepotibus, ipſam mortalitatem ſuperabis, atq; (ô ingentem Tuam proſperitatem) perpetuâ tantorum, in ANHALTINA, HASSIACA, PALATINA, aliisq; inpoſterum PROSAPIIS, PRINCIPUM ſucceſſione, eſſe & vivere inter mortales nunquam ceſſabis. Verum enim verò hodierna Tua, maximaq;, SERENISSIME FRIDERICE felicitas, totum me, in ſui præconium abripit, quæ ſe totam, præterlapſi nuperrimè ANNI M. DC. LV. Menſe Novembre, in Te profudiſſe videtur, quô nimirum, & prô TE GENERUM, & prô Filiâ CELSISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, MARITUM, SERENISSIMUM AC CELSISSIMUM PRINCIPEM, ET DUCEM MEKLENBURGICUM DN. GUSTAVUM ADOLPHUM es adeptus; cujus Heroicas dotes, dum ad accuratiorem judicii lancem pondero; nihil aliud eundem eſſe, quam Cœleſtem Romani Imperii, Orbisq; Mecklenburgici SAPPHIRUM, melius, Sacrâ hacce. (ut à pluribus vocatur) Gemmâ, quam PARHASII, ac PROTOGENIS penicillô expreſſum animadverto, Splendebat quippè SERENISSIMUS GUSTAVUS ADOLPHUS, non aliter, ac inæſtimabilis pretii SAPPHIRUS, antè aliquot ſecula, in ſuis Paternis Majoribus. Splendebat in illis, inter plurimos alios, ANTHYRIIS, ALIMERIS, WISIMARIS, HILDERICIS, BILLUNGIS, PRIMISLAIS, NICOLOTIS, BUREWINIS, JANIS THEOLOGIS. HENRICIS HIEROSOLYMITANIS, JANIS, MAGNIS, ALBERTIS. Splendebat in illis ALBERTIS URSIS, BERNHARDIS, HENRICIS, SIGFRIDIS, SIGISMUNDIS, GEORGIIS ERNESTIS, JOACHIMIS, ERNESTIS CHRISTIANIS, in ſuis Maternis Majoribus, ac Principibus glorioſiſſimis, qui omnes utriusq; ſtemmatis HEROES, famam ſuam, in amore & admiratione Orbis, in ævum propullerunt. Splendebat in Patre, æviternum Victuro, JOANNE ALBERTO, Principe SAPPHIRINÆ, nempè cœleſtis & integerrimæ naturæ. Qui trienniò antequam è rebus caducis ſeceſſiſſet, & in æternas illas emigraſſet ſedes; è SAPPHIRO candidioris pectoris HEROINA, MARIA ELEONORA, Principe, conſtantiam fœminarum Romanarum, quæ amorem ſemel maritis conſecratum ſepulchris intulerant, ſi non ſuperante, certè æquante; hancce ſummi valoris in IMPERIO ROMANO gemmam, neq; degenerem SAPPHIRUM, SERENISSIMUM GUSTAVUM ADOLPHUM produxit, Quem Tu SERENISSIME FRIDERICE, ſummorum in EUROPA, ASIA, AFRICA Heroum æmulator, plurimi æſtimaſti; qui ipſum in Illuſtiſſimorum, & Auguſtiſſimorum Tuorum GENERORUM cœtum, cooptaſti

tasti; filiæ tuæ chariſſimæ, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Divinâ aſpirante Gratiâ, eundem obtuliſti; utq; illamet, eum ipſum, tanquàm SAPPHIRUM inæſtimabilem, in ipſô cordis puriſſimi Gazophylacio reponeret ac conſervaret, & prudentiſſimè voluiſti, & feliciſſimè effeciſti. Quem ipſa, SERENISSIME FRIDERICE, non aliumin hacce vitâ, quam inſigniter nitentem, & vel minimæ expertem maculæ SAPPHIRUM experietur. Si enim SAPPHIRUS, cœli ſereni ſpeciem præſefert, ideòq; Gemma Sacra nuncupatur. Certè cœli ipſius colorem gerit, SERENISSIME FRIDERICE, Gener Tuus Dilectiſſimus, GUSTAVUS ADOLPHUS, qui inter tot voluptatum illecebras; quæ vi & arte proditoriâ, heroicæ generoſitatis nervos ſuccidunt, & in ipſum mentis Palladium, per cuniculos irrepunt; qui inquam in ſuo SAPHIRINO pectore, nil niſi cœleſtes cogitationes, nil niſi cœleſtia deſideria, nil niſi cœleſtes ac ſapphirò mundiores intentiones, in DEI gloriam, in Eccleſiæ CHRISTI cultum, in Romani Imperii decus, in Provinciæ hujus proſperitatem, in Academiæ noſtræ, Urbisq; hujus florem directas, verſat & agitat. SAPPHIRUS eſt cœleſtis coloris, GUSTAVUS ADOLPHUS, *qui licet* adhæreſcat corpori, nil tamen, ex eô, terrenæ contagionis capit, ſed purum ſervat, inquantum poteſt,

Aetherum ſenſum, atquè aurai ſimplicem ignem.

Et ſi SAPPHIRUS, tantæ denſitatis eſt, ut ſcalpi, quaſi invictus, non poſſit. Profectò SERENISSIME FRIDERICE, SERENISSIMUS GUSTAVUS ADOLPHUS, perpetuam in dictis & factis, ac planè SAPPHIRINAM ſectatur conſtantiam, illudq; ipsâ vitâ implet, quod LUDOVICUS PIUS, in Emblemmate habuiſſe fertur. VOLO SOLIDUM PERENNE. SAPPHIRUS eſt CELSISSIMUS GUSTAVUS ADOLPHUS, qui invictâ fortitudine munitus, ex ipſis etiam adverſis, gloriæ & laudis argumentum capit, neq; patitur, ſemet ad quemcunq; fortunæ vultum alterari, intaminatis fulgens honoribus. Conſtans & ſolidus, quaſiq; ex SAPPHIRINO pectore conflatus, in amore ergà CELSISSIMAM MAGDALENAM SIBYLLAM, permanebit. Quia verò flammam illam puriſſimam, quæ jam in SAPPHIRINA ejus mente ardet, unicus & æternus omnium rerum Parens ac Conditor incendit. Ideò hic *Amor*, erit SAPPHIRO firmior & ſolidior; ideò æternô fomentô, Dei Providentiâ creſcet; ideò Sacra illa copula, in illâ GOTTORPIENSI Arce, vel ſatius Heroum SACRARIO, rata ac conſummata; in quam ipſe Olympus conſpiraſſe videtur, omni Herculeô nodô fortius conſtringetur;

tur, omni SAPPHIRO constantius perseverabit. Si autem SAPPHIRUS, juxtà sagaciſſimos naturæ Scrutatores, aureis punctis, quasi ſtellis collucet, & ſcintillat. Collucet Tuus SERENISSIME FRIDERICE Gener, GUSTAVUS ADOLPHUS, maximâ in DEUM pietate, per quam apparatissimis rerum cœleſtium delibutus voluptatibus, cœli SAPPHIRINI inſtar, eſſe videtur; cujus motu, cæterarum virtutum, quaſi ſtellarum, perpetuæ converſiones, per fixas honeſtatis leges, integerrimè decurrunt. Collucet prudentiâ ipſam ætatem ſuperante; collucet juſtitiâ & æquitate, fortitudine ac temperantiâ, manſvetudine & clementiâ; collucet rariſſimô ergà literarum cultores amore; per quos apud ipſam etiam poſteritatem lucebit; & qui ipſum tanquam Gemmam Mecklenburgici Soli cariſſimam, ingenii monumentis, tanquam unicis rerum præclarè geſtarum Speculis, ſequentibus ævis declarabunt; collucet cæteris virtutibus, ſublimes in Orbe Heroes exornantibus, tanquam aureis ſtellulis; quæ vel in ipsâ ejus facie, modeſtiâ & gravitate temperatâ, tot emicant, quot è SAPPHIRO, aurei punctuli erumpunt, vel quot, Serenô & Sapphirinô cœlô ſtellæ, inſtar candentium gemmarum, ſuis Orbibus affixæ refulgent. Fuit quondam SAPPHIRUS, in magnâ apud Veteres veneratione, tanquam non ſolum Summi Sacerdotii, ſed etiam Supremi Magiſtratus ſimulacrum. Quid jam de Tuo SERENISSIME FRIDERICE Generô, SERENISSIMO GUSTAVO ADOLPHO dicam? Hunc ipſum tota Provincia Mecklenburgica, uti Supremæ Auctoritatis SAPPHIRUM, uti ſuum Conditorem ac Parentem; & quidem jam cum SERENISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, tanquam cum novâ Matre ſuâ, tantâ religione, tantô honore colit, ut ſydera, ſi in terras has deſcenderent, non eſſent plus venerationis habitura. Absq; SAPPHIRO, ipſi quoq; DII Ethnici, nulla hominibus, reſponſa præbebant. Sed ſecedant hinc ad Orcum infernalem, illa turpiſſima ſceleratiſſimorum Deaſtrorum Idola: id enim manifeſtiſſimum eſt, in totâ MEGAPOLI, nihil planè, ſinè SERENISSIMO GUSTAVO ADOLPHO expediri, nullos exoptatos ſucceſſus absq; illô ſperari. Qui non ſolum SAPPHIRUS eſt totius MEGAPOLIS; verùm eſt etiam, commune quoddam ejusdem Oraculum, à cujus ipsâ imperiô, à cujus ore & nutu, à cujus placitô continuò dependet. Et ſi olim portabant in anulo SAPPHIRUM Summi Sacerdotes; ſi geſtabant eandem Gemmam, & quidem,

dem, cui inſcripta erat VERITAS, antiquiores illi Supremi Judices, ſimulq; Maximi Pontifices Jam, jam, Univerſa MEGAPOLIS, SERENISSIMUM GUSTAVUM ADOLPHUM, tanquam Celſiſſimæ, inter Supremos Romani Imperii Magiſtratus dignitatis SAPPHIRUM, aurô pulchrioribus Virtutum punctulis radiantem, quaſi in ipſis manibus portare videtur. Cui non eſt inſculpta ſaltem VERITAS, ſed eſt etiam ipſe, ipſiſſima VERITAS; eſt candidiſſima pectoris Sapphirini ſinceritas, nihil fucatum, ac quaſi calamiſtris inuſtum, nullas fraudum latebras, nulla ſimulationum involucra, in ſe complectens. Quem etiam Tua, SERENISSIME FRIDERICE, Celſiſſima filia MAGDALENA SIBYLLA, tanquam illæſæ puritatis SAPPHIRUM, in pectore ſuo, pravæ libidinis prorſus immuni, per vitam geſtabit; cui illa ſoli & non alteri, amores ſuos caſtiſſimos dedicavit. Nec immeritò. Velut enim SAPPHIRUS, ſi vera Naturæ Exploratores perhibent, melancholiam fugat & propulſat. Sic SERENISSIMUS GUSTAVUS ADOLPHUS, è corde ſuæ SERENISSIMÆ MAGDALENÆ *SIBYLLÆ*, ſvaviſſimâ converſatione, pellet omnem animi mœſtitiam, jucundiſſimôq; in omnibus conſenſu, omnes teterrimæ melancholiæ humores diſcutiet. Fruſtrà enim in corde ejus mœrorem ſperes, quod jam intimus, SAPPHIRI MECKLENBURGENSIS amor occupavit; fruſtrà in in eodem triſtitiam quæras, in quô incorruptæ SAPPHIRINÆ Vetitatis charitas dominatur. Ac quemadmodum SAPPHIRUS, (ſi Dioſcoridi & Epiphanio fidem habemus) aliam Gemmam lucidiſſimam, CARBUNCULUM videlicet, producit. Sanè, DIVINO SUBSIDIO, SERENISSIME FRIDERICE, SERENISSIMUS GUSTAVUS ADOLPHUS, è CELSISSIMA, MAGDALENA SIBYLLA, producet candidiſſimos Romani Imperii, ac Septentrionis CARBUNCULOS; producet CHRISTIANOS, FRIDERICOS, ADOLPHOS, JOANNES ADOLPHOS; producet ALBERTOS, HENRICOS, AUGUSTOS, CHRISTIANOS, JANOS GEORGIOS, Heroes, tum Cimbricos, ſivè Danicos; tum Saxonicos, ſivè Wittekindianos, qui in Romano Imperio, & in Orbe Mecklenburgico atq; Holſatico, tanquam CARBUNCULI clariſſimi, in ipsô etiam calamitatum igne ſplendebunt. In quibus & Tu ipſe SERENISSIME FRIDERICE, tanquam in Illuſtriſſimis Romani Imperii ac Holſatiæ CARBUNCULIS *lucebis*. Et quemadmodum CARBUNCULUS, pruna ignita dictus, in ipsâ etiam obſcuriori nocte refulget. Fulgebis & Tu, SERENISSIME FRIDERICE, in ipſis etiam mortis tenebris,

bris, & famâ Nominis tui immortali, tum Imperium Romanum, tum Septentrionem, tum cætera Regna, in Tuis Nepotibus, ac Pronepotibus, illustrabis.

Verum jam me ad TE confero, SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, qui me, per Magnificum Tuum DN. LEGATUM, æquè succendis, prout nupèr, & quidem in hacce Cathedrâ, vultu tuô propriô, quem MINERVA habitat, accendisti. Et Tu SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, jàm, tot egregiis, fortunæ, animiq; dotibus, cumulatissimè exornatus, non solum in hac MEGAPOLI, sed etiam in GERMANIA, HOLLANDIA, GALLIA, ITALIA, aliisq; Regnis, Regum, Principum, Magnatum, omniumq; fermè hominum pectora, in Tui amorem ac reverentiam abripueras. Jàm, non tàm altissimis, Majorum tuorum, Regum Herulorum & Obetritarum vetustissimorum, Principum Vandalorum ac Mecklenburgensium inclutissimorum Stemmatibus, quàm Heroicis Virtutibus, ad gloriæ sempiternæ cacumen contenderas, & ascenderas. Jam, in hac floridissimâ ætate, ad clavum Imperii Mecklenburgici, alter CÆSAR OCTAVIUS, alter CÆSAR AUGUSTUS consederas, quem nunc cum summâ prudentiâ, ac incredibili amore populi, ad ipsius posteritatis memoriam moderaris. Sed hodierna Te, SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, manebat felicitas; quæ jam tanta est, ut in Tuam illustrissimam Domum, non aliundè, sed è cœlô ipso cecidisse videatur. Et quæ non est alia, quam quod tantæ gloriæ, tantæq; famæ Principis filiam, tantorum Regum, Ducum, Romaniq; Imperii Electorum Proneptem MAGDALENAM SIBYLLAM, tunc Nympham, nunc Matronam, omnifariis generis, fortunæ, corporis, animiq; ornamentis excellentissimè dotatam, Vitæ connubialis sociam Tibi adsciveris. Quam, dum ad accuratiorem mentis indaginem refero, illam quasi pretiosissimam, olim HOLSATICI, hodiè MECKLENBURGICI Soli Unionem, sivè MARGARITAM esse conspicio. MARGARITA enim è liquidô rore, & è limpidissimô illô humore, qui serenô cœlô effluere consvevit, generatur. Quid verô Tua SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, MAGDALENA SIBYLLA erit? nonnè illam MARGARITAM inæstimabilem lubens agnosces? quæ ab illis CHRISTIANIS, FRIDERICIS, ADOLPHIS, JANIS ADOLPHIS; quæ ab illis ALBERTIS, HENRICIS, AUGUSTIS, CHRISTIANIS, JANIS GEORGIIS, Regibus Daniæ, Norvvegiæ, Sveciæ potentissimis; Ducibus Holsatiæ Celsissimis; Electoribus S. R. IMPERII Eminentissimis; quæ deniq;, à SERENISSIMO FRIDERICO, Hærede Norvvegiæ, Duceq; Holsatiæ; & à SERENISSIMA MARIA

ELISABETHA Wittekindianâ, ſuam præclariſſimam deducit originem. Qui omnes, æternô encomiô digniſſimi Principes, inſtar roris matutini, omnia recreantis & ſuſtentantis, populum ſibi à DEO commiſſum, laudatiſſimâ ſuâ clementiâ benigniſſimè fovebant; qui inſtar roris, vitalem ſuccum, plantis & ſegetibus tribuentis, ſuâ liberalitate ac munificentiâ, omnes ſibi ſubditos, optimèq; meritos mortales, cumulabant. Et ſi MARGARITA, (PLINIO illô, qui univerſam Naturam parvô volumine concluſit, teſtante) Principium & culmen omnium rerum pretii obtinet. Profectò CELSISSIME GUSTAVE ADOLPHE, Tua MAGDALENA SIBYLLA, omnium mundi theſaurorum, omnium terræ gemmarum æſtimationem, in Tuo pectore, ſuperabit. Quam, illis etiam CLEOPATRÆ luxurioſiſſimæ duabus margaritis, quæ ad duodecies centena millia Philippeorum æſtimabantur, facilè antepones. Et rectiſſimè. Conjux etenim virtutibus prædita, qualis Tua eſt CELSISSIME GUSTAVE ADOLPHE, SALOMONIS quoq; Sapientiſſimi judicio, gemmis ac margaritis omnibus pretioſiſſimis, quæ de ultimis Indorum, ipſiusq; Mundi apportantur finibus antecellit. MARGARITAM, Latini Unionem nuncupant, *quod in unâ conchâ, una* Margarita alteri unita & conjuncta reperiatur. Sed & Tuam SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, Celſiſſimam Conjugem, quis non UNIONEM dixerit? quæ firmiſſimô amoris nexu, pectori Tuo unietur; quæ cor tecum unum, & unica anima erit; quæ in omnem prorſus unanimitatem, in unâ vitâ œconomicâ, veluti in unicâ conchâ, tecum, & non aliter, quàm illa CLOTIDES cum ſuo CLODOVEO, quàm illa HELENA cum ſuo CONSTANTIO, conjurabit. MARGARITÆ omnem ſuam præſtantiam & dignitatem (utq; ille PLINIUS, Naturæ Bibliothecarius ſcribit, omnem ſuam dotem; in magnitudine, rotunditate, lævore, pondere, ac candore, reponunt. Sed talis eſt & Tua CELSISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, CELSISSIME GUSTAVE ADOLPHE, Quæ pollet inſigni animi magnitudine, quâ omnia hæcce terrena, tui amore deſpiciet, teq; unicum, ac tuas inſignes dotes, in Orbe æſtimabit; pollet rotundæ figuræ gratiâ, quæ adinſtar Orbis, in tua juſſa & placita mobilis, tibiq; ſoli obſequentiſſima permanebit; pollet *lævore inſigni*, quæ ab omni faſtus tumore, ab

omni

omni morum ſcabritie & aſperitate aliena, & placidiſſimâ manſvetudine, & ingeniô politiſſimô prædita, ſemet, ad regulam ac vitam conjugalem, leniſſimè componet; pollet pondere & gravitate prudentiæ, in ſexu imbecilliore rariſſimæ, at cum egregiâ clementiâ & modeſtiâ copulatæ; pollet candore ex ingenuô pectore, velut è limpidâ quadam ſcaturigine promanante, quæ ſinceriſſimorum plena officiorum, ad omnium animos & voluntates, honeſtiſſimè devinciendas, ipſis quaſi GRATIARUM manibus fabricata eſſe videtur. MARGARITA rore ſvaviſſimô nutritur & creſcit. Tua autem SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, CELSISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, tum tuô jucundiſſimô colloquiô, tum tuâ gratiſſimâ morum converſatione, tanquàm fœcundiſſimô rore, majus indies incrementem capiet; ſpiritus ſuos, ad præclariſſima quæq; anhelantes, magis ac magis recolliget; & per tuam manſvetudinem, quaſi per rorem, ipſius pectus blandiſſimè penetraturum, ad quævis facinora, heroicas animas decentia, eò vividior, eòq; alacrior reddetur. Immò, quemadmodum conchæ Margaritarum, unicum limpidiſſimum rorem, veluti maritum, cujus deſiderio hiare etiam dicuntur, avidiſſimè ſitiunt. Sic Tua Celſisſima Conjux, non tam Margaritæ concha, quàm ipſa MARGARITA nitidiſſima, neminem præter Te, qui ſolus puriſſimi amoris ejus flammas reſtingvere & potes, & debes; deſiderabit. Etſi quondàm apud ELEOS, Phidiæ VENUS URANIA, ex aurô & ebore conflata, alterôq; pede teſtudinem premens, mutum ſaltem caſtiſſimæ mulieris ſimulacum fuerat; adeſt jam in hacce MEGAPOLI, non illa fœdiſſima Venus, non illud monſtrum execrandæ libidinis, ſed Tua CELSISIME GUSTAVE ADOLPHE Conſors, quaſi viva & puriſſima MARGARITA, quæ nullos unquam, præter Tuos amores curabit; quæ ſe privatis parietibus, Tui amore continebit; quæ teſtudinem domiportam æmulata, non temerè, extrà chariſſimum Tui conſortium vagabitur. Nec mirum. Quemadmodum enim illi, qui MARGARITAS poſident, illisq; delectantur; ſummoperè cavent, ne ipſas acetô perfundant, cujus aſperitate, in tabem ipſam reſolvuntur; & quô, ſuam quoq; Margaritam, prodiga illa CLEOPATRA, olim liquavit & abſorpſit. Ita Tu SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, pro Tuâ innatâ benignitate, non iræ acerbitatem, quâ pectora mortalium, non aliter ac acetô Margaritæ, diſſolvuntur; non verbi mordacioris acetum, nè totam

animi sui venustatem deperdat, SERENISSIMÆ Tuæ Uxori præbebis. Verum dabis ipsi nectar amoris svavissimi; dabis lac & mel jucundissimæ concordiæ. Quò illa recreata, nunquam ab amore Tui divelletur; semper ad supremum vivendi limitem, te intimô amore complecti perget; & ruant licet elementa omnia, è vastâ hâc mundi machinâ, redeant in suum chaos; illa amore in Te, & fide firmissimâ constabit. Sicut etenim MARGARITA solidissima, nullo lapsu frangi consvevit; Sic illa stabit immobilis, solô Tui amore flagrans, neq; ullis fortunæ tempestatibus soliditatem sui pectoris, suiq; ergà Te amoris constantiam infringi permittet. Et si MARGARITA, cœli colorem præsefert; cœli instar erit Serenissimi, CELSISSIMA MAGDALENA SIBYLLA, & ad quosvis iniquioris fortunæ impetus, nè quidem colorem, nè dicam animum mutabit. Erit Tibi SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, altera HIPSICRAETA, Regis MITRIDATIS Uxor fidelissima; quæ vivam quandam amoris Tui imaginem, cordi suo, margaritâ solidiori ità insculpsit, ut vix vel ipsius mortis insultu labefactari possit. Nunquam etenim, qui virtute nititur, vacillare Amor solet; sed eadem utriusq; immortalitas perennat; Et qui unquam vacillaret cœlestis, ac integerrimæ margaritæ similis, MAGDALENÆ SIBILLÆ amor? quem tam feliciter, sanctissima, & SAPHIRO clarior, GUSTAVI ADOLPHI virtus, & fundavit & confirmavit. Ad extremum, hæc incomparabilis valoris MARGARITA; progenerabit Tibi, CELSISSIME, in Romanô Imperio, non dissimiles UNIONES. Hoc enim vinculum, hic nexus mutuus est, inter Exemplares Parentum virtutes, & sequacem liberorum indolem. Progenerabit Tibi SERENISSIME, novos ALIMEROS, WISIMAROS RHADAGASTOS, HILDERICOS; HENRICOS, NICOLOTOS, BUREWINOS, JOANNES, ALBERTOS, MAGNOS, BALTHASARES, ULRICOS, CHRISTOPHOROS, CAROLOS, SIGISMUNDOS, GUSTAVOS ADOLPHOS, qui suis Virtutibus heroicis, immortalium illorum Mecklenburgicæ Prosapiæ Heroum vestigia prement exactissimè. Progenerabit redivivos ALBERTOS, BERNHARDOS, SIGFRIDOS, JOANNES, SIGISMUNDOS, GEORGIOS, ERNESTOS, CHRISTIANOS, qui, quoad laudatissimas animi dotes, Cedrôq; digna facinora, Principibus Anhaltinæ Domus respondebunt; quæ antehàc Brandenburgensem Electoralem dignitatem, continuâ ducentorum annorum successione conservavit. Quibus Tu SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE, illustrissimas in Romano Imperiô, aliisq; regnis familias

familias propagabis; quibus dissociatas olim Domos, vinculô arctissimô, mutuâq; affinitate consociabis; in quibus temet, ad effigiem quandam, imaginemq; immortalitatis compones; & quoniam idem numerô, corruptioni nobiscum obnoxius, perseverare non valebis, ortu tot Nepotum ac Pronepotum vicariô, mortalitati tuæ, quà fieri poterit, suppetias feres; Sanguinemq; Tuum pretiosissimum, ab occasu & interitu vindicabis. Et hæc est Tua, SERENISSIME FRIDERICE; hæcq; iterùm Tua, SERENISSIME GUSTAVE ADOLPHE felicitas, quâ Vos O, PIISSIMI PRINCIPES, à DIVINA munificentiâ cumulati, SERVIUM illum TULLIUM, cognomentô obsequentis fortunæ pullum, non æmulamini. Hic enim, quod Fortuna, ad ipsius cubile, per fenestram, ex intimiori amicitiâ, aliquoties dilaberetur, Fortunam primigeniam & obsequentem, uti summam omnium suorum successuum fautricem, in CAPITOLIO consecravit. Verùm Vos, SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPES, quanquàm longè majorem Vestram felicitatem, non illi cœco & exoculato Idolo, non illi fortunæ diariæ, in dies, vel potius in horas mutabili, EURIPIS, & æstibus maris simillimæ; sed SOLI DEO. OPT. MAXIMO, omnium bonorum fonti imputatis, & in ipsum unicum, qui se omnium mortalium necessitatibus, lubentissimè impendit, omnis felicitatis Vestræ causas & auspicia devotissimè confertis. Quæ, ut firma, constans, perpetua, nullisq; unquàm casibus, nulli mutationi obnoxia maneat, cum Totâ hacce ACADEMIA, vestro honori, vestro ornamento devinctissimâ, cum omnium Eruditorum cœtu, & cum Universo hoc Musarum lætissimarum Chorô animitus apprecamur; breviq;, magis disertis, magisq; expressis verbis precabimur.

(Post quintam Musarum melodiam.)

VOTUM ADDEBAT.

LAURENTIUS BODOCK,

J. U. D. & Orator: Professor.

QVandoquidem autem, OMNIUM ORDINUM AUDITORES HONORATISSIMI, variæ sunt FORTUNÆ, vel ut rectius dicam VORTUNÆ vices; quæ omnem constantiam respuit; quæ ex merâ libidine, nunc instar Matris blandissimæ extollendo, nunc instar duriss imæ novercæ deprimen-

primendo, & Solo tantum non planè allidendo, mortale genus exagitat. Ideò NOS, ad TE DEUS PRÆPOTENTISSIME, tanquam ad unicum tantæ felicitatis Auctorem, atq; Conservatorem confugimus. Teq; religiosissimè invocamus; qui tanta ROMANI IMPERII CAPITA. cum utriusq; Provinciæ, Academiæ nostræ, Urbisq; hujus gaudiô, cum utriusq; Prosapiæ prolubiô, cum felicissimis omnium bonorum acclamationibus, firmissimô amoris castissimi nexu devinxisti. Irriga Benignissime cœli & terræ DEUS, opulentissimâ tuâ benedictione, hæcce lectissima Orbis Christiani pectora, quæ TE, clementissimô humanæ sortis Arbitrô, in sempiternam fidem & societatem conjugalem conjurarunt. Fac, O cœlestis Pater, nè Fortuna procax; quæ sæpè luctu triumphos, ipsasq; nuptias mutat, & admodum fulminis, summa quæq; subruentis, omnia concutit; nè inquam, in hasce piissimas animas, heroicis radiantes virtutibus, vel minimum juris obtineat. Effice, O Supreme DEUS, nè crudelis mors, tristi divortio disrumpat, dulcissimum animorum horum consortium; quod ut in longævam utriusq; ætatem diuturnum maneat, cordicitus vovemus. Da, O Æterna & Beneficentissima MENS, ut CELSISSIMI HI CONJUGES, per ferales vitæ hujus tumultus procedentes, veluti limpidissimi amnes, qui per media licet maria fluentes, purissimam aquam conservant, nullam salsedinem ex omnium infortuniorum, (quæ O ALTISSIMUM NUMEN avertas) pelago trahant; ut famæ suæ gloriæq; Trophæis, non solum MECKLENBURGUM hocce, & HOLSATIAM; sed ipsum etiam ROMANUM IMPERIUM, totumq; Orbem Christianum impleant; ut deniq; die tardissimô, in altissi-

tisſimas illas, & illuſtrisſimas beatarum mentium Sedes, ad vitam ſempiternis abundantem deliciis, æviternumq; perfruendam conſcendant.

(Poſt ſextam Muſarum melodiam)

CONCLUDEBAT ET GRATIAS AGEBAT.

IDEM

LAURENTIUS BODOCK,

SIc ſe res habet, Omnium Ordinum Auditores Honoratisſimi, Omnis religio, quæ è devotisſimo pectore, vota depromit, frequentius repetit, ac præ cæteris, IMMORTALE NUMEN, in quô præcipuam collocat fiduciam, piiſſimè advocat; planè ſecurisſima, quod hæc ſolidiſſimô fulciri fundamento, & de ipſa perpetuitate gloriari debeant, quæcunq; Summi rerum Procreatoris dextera conſtruxit. Nunc itaq;, quicunq; HUJUS AUSPICATISSIMI THALAMI FELICITATEM, precibus, Nobiſcum venerari incœpiſtis, pro confirmanda eadem, adorare DEUM pergite. Sic demum, & hæc ultima, ex intimis cordis meditulliis deprompta, rata Vox erit.

VIVAT GUSTAVUS ADOLPHUS, SPES PATRIÆ, SALUS BONORUM, MECKLENBURGICÆ STIRPIS ORNAMENTUM.

VIVAT MAGDALENA SIBYLLA, ILLUSTRISSIMARUM MULIERUM DECUS, VIRTUTUM HEROICARUM DOMICILIUM, HOLSATICÆ DOMUS GLORIA.

FLOREANT FELICES

FOECUNDI IMMORTALES.

Quod ſupereſt, Tibi jam SERENISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, DN. GUSTAVE ADOLPHE, immortales referimus gratias; quod è ſingulari ergà Majorum Tuorum, Tuamq; ACADEMIAM; ut & ergà NOS clementiâ, per Tuum Honoratiſſimum LEGATUM, per alterum prudentiſſimum MECKLENBURGICI SOLI ZOPYRUM, Tuâ Celſitudine digniſſimum, exiguum quidem hoc ſpecimen, ſed ſupremum pietatis noſtræ, ergà TE munus, condecorare voluiſti. Pro quâ inæſtimabili benignitate, æternam Tibi, pectorum noſtrorum venerationem, ac interminam obsequiorum conſtantiam, humillimè deferimus. Tibi quoq; MAGNIFICE DOMINE RECTOR; Vobis Viri plurimum Reverendi, Excellentiſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Clariſſimi; Vobis etiam *Nobiliſſimi ac Præſtantiſſimi Juvenes*; Vobis deniq; *Hoſpites*, & *Spectatores*, *literarumq*; Favitores colendiſſimi, partim à me, partim ab iſtis Optimorum ac Præclariſſimorum Parentum JUVENIBUS, maximæ debentur laudes & gratiæ; quià HUNCCE ACTUM, tantorum in Romanô Imperio Principum Honori conſecratum, tantò confluxu, tantâq; frequentiâ cohoneſtaſtis; quià maximam veſtram ergà CELSISSIMOS PRINCIPES obſervantiam, & devotiſſimum, ergà hos Provinciarum SOLES, animum declaraſtis; Qui ſe, quavis occaſione, prô tantâ in ſe animorum Veſtrorum propenſione, in gratiſſimæ mentis teſſeram, non aliter in veſtram effundent utilitatem; quàm NILUS ille fluviorum Rex, in fœcundos Ægypti agros, ſemet exundare conſvevit. NOS verò quod attinet. Dabimus ſanè operam, nè unquàm, hancce Inſignem Ve-

ſtram

ſtram ergà NOS humánitatem, ac benevolentiam, quaſi in homines ingratos & immemores, qui aliorum beneficia, mox ad æternam condemnant oblivionem, contuliſſe videamini.

TANDEM SVAVIORI MUSARUM SYMPHONIA.

ACTUS HIC FINIEBATUR.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0045
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0046
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0047
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0048
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0049
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0050
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0051
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0052
DFG

rat picturam innumeris ornatam ſtellis, innuens multos eſſe oculos, nullas linguas: Id verò maximè facit ad exprimendam indolem generoſi juvenis, videntis quidem ; ſed tacentis gloriam generis. Stellæ, quò altiores, eò minùs nobis fulgent; Sic nobilis animus, quò major & altior origo eſt, eò minùs de eâ videri vult. Tantùm tamen abeſt, ut hôc ipsô vel ἀφιλοτιμίας, vel ſuperbiæ inſimulari poſſit; ut potiùs ab utrôque vel maximè diſtet. Quemadmodum enim egregius ille vitiorum inſectator Seneca *multum*, inquit: *intereſt inter ſublimem animum & ſuperbum*; ita hæc natalium ſuppreſſio non omnes ſpiritus deprimit, aut animum ab vilemque reddit ; Sed potius ad laudabi ajorum æmulationem accendit, & exſtimu ne*roſus enim animus* non quidem multu in iis, quæ â majoribus accepit; Sed ipſe ac*quirendæ cupidus eſt: ſi illorum virtute* m*que imitari nequit; pudet eum magis i* ita*tis ſuæ, quàm in generis inſigni dignitat* t; i*mò potiùs dolet majores omnem occa* in*clareſcendi præripuiſſe. Invincibilis* um Monarcha, omniumque excellentiſſim Ale*xander M. nobis in exemplum erit, qui* cre*ſcente Dominiô, gerendis præclaris rel* eri*am magnâ ex parte exhauſtum iri ratu* uo*ties Philippum nobiles urbes, regiones* ſu*am redegiſſe poteſtatem, aut memora* eliô *parta victoria nunciabatur, magnoperè* tur; *ſed ad ſuos potiùs æquales ajebat: Omnia* eni*tor occupabit, ita ut ne vobiscum grande ull* ſigne *facinus oſtentare mihi ſit reliquum.* Recenti e te*nebat memoriâ Præceptoris ſui, Magni* agi*ræ alumni, canonem, quô docet: Mult* non

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747207550/phys_0053
DFG